
WELLCOME
HISTORICAL MEDICAL LIBRARY

VARIAE
CELEBER. MEDICORVM
OBSERVATIONES
QVIBVS
MVLTA LOCA

NOVI TESTAMENTI

DOCTE ILLVSTRANTVR.

COLLEGIT

D. GEORGIVS GOETZIVS
MEDICINAE PRACTICVS.

FASCICVLVS PRIMVS.

ALTORPHII
APVD LAVRENTIVM SCHVPFELIVM.
A. G. R. CIϽIϽCCXXXX.

SVMME REVERENDO ET EXCEL
LENTISSIMO CELEBERRIMOQVE

VIRO

IOANNI HENRICO A SEELEN

SACRARVM LITTERARVM
LICENTIATO
INCLVTI GYMNASII LVBECENSIS
ANTISTITI
DEQVE RE SACRA ET LITTERARIA
IMMORTALITER MERITO
OMNE FELICITATIS GENVS
AB AETERNO NVMINE
APPRECATVR

ET IN PIAE VENERATIONIS
MONVMENTVM

HVNC FASCICVLVM

CONSECRAT

SEELENIORVM MERITORVM

AETERNVS CVLTOR

D. GEORGIVS GOETZIVS.

HVMANISSIMO

LECTORI

S. P. D.

D. GEORGIVS GOETZIVS
NORIMBERGENSIS
MEDICINAE PRACTICVS.



Ptimi *Maximi* SERVATORIS *noſtri uerba*, * ΕΡΕΥΝΑΤΕ ΤΑΣ ΓΡΑΦΑΣ, *omnes omnino obligant mortales, ut ſacris litteris dies noctesque diligentiſſime incumbant. Neque eſt ulla diſciplina, neque honeſta ars, quae non in explicandis ſacris pandectis occupatis aliquid ſubſidii adferat.*

* Ioan. V, 39.

De sola in praesenti medicina, *nunc uerba facio, ne in alienam messem falcem immittere, uidear: haec, inquam, in multis Veteris ac Noui Testamenti locis, tam est necessaria, ut, qui hoc adiumentum negligunt uel aspernantur, in densissimis tenebris uersentur. Hoc nonnulli pii, cordati et eruditi medici, nostra patrumque aetate animaduerterunt; ea igitur loca, quibus salutaris ars lucem accendere ualet, docte et fideliter explanarunt.*

TIBI, B. L. *nunc primum sacrarum obseruationum a medicis explicatarum fasciculum, trado. Indices olim utilissimos*

ſimos ad poſtremum faſciculum, pro ſuo in me et bonas litteras prorſus ſingulari amore, addet unicus meus frater cariſſimus, ANDREAS GOETZIVS, Norimbergenſis, *patriae primariae ſcholae ad Diu. Sebaldi collega dexterrimus, cui uitam longaeuam, optimam ualetudinem, proſperioraque fata* ὁλοκαρδίως *uoueo et opto.*

Finio hoc prooemium uerbis Cel. IOANNIS CONRADI SCHVVARZII, *in praefatione ad* Horatii Turſellini *de particulis Latinae linguae libellum*: Qui ueteres libros bonos identidem in lucem reuocant, et ornant, ii doctoribus ſuis

 et

et rei litterariae maius officium praeſtare uidentur, quam qui ſuas lucubrationes edunt, noui nihil, aut certe parum allaturi. *Neque praetermittenda* FRIDERICI BENEDICTI CARPZOVII, *polyhiſtoris apud Lipſienſes poſt mortem clariſſimi epiſtola, ad Ienenſem hiſtoricum meritiſſimum* Caſparem Sagittarium, *quam b. B. G. Struuius in faſciculo ſecundo actorum litterariorum communicat, ubi de aliorum ſcriptorum editoribus candide iudicium ſuum in medium affert:* Satius ſane puto, ueterum commentationes eruditae haut permittere, ut intercidant, uerum iteratis editionibus eas ab interitu uindicare; quam ſuperuacaneis libris

nouis

nouis condendis, famam aucupari. Quocirca ſemper eorum inſtitutum placuit, qui praeclaros ueteres libellos ſeruare ſtudentes, eos prelo iterum ſubiiciunt, ciuicam a republica coronam, meo iudicio, meriti. *Tandem*, CORDATE LECTOR, *etiam atque etiam uale, et mihi tuum fauorem in poſterum quoque condona.* Norimbergae *D. V. Iduum Octobris, qui dies eſt mihi natalis triceſimus ſextus*

A. G. R. CIϽIϽCCXXXVIIII.





I.

GEORG. VVOLFG. VVEDELIVS
in Exercitatt. Medico-Philologic. etc.
Cent. II. *Dec.* II. *Exercit.* IIII.
pag. 25. *seqq.*

DE
ACCENTIBVS.

SCite quidem *Seneca*, non quaerit, *inquit*, aeger medicum eloquentem, sed sanantem, addit tamen mox, *Ep.* LXXV. sed si ita competit, ut idem ille, qui sanare potest, comte de his, quae facienda sunt, disserat, boni consulet.

Est omnino in medicis quoque scholis suberrimus fons antiquae litteraturae, imprimis in lingua Graeca, hinc et Latina. His uero in auctoribus non raro etiam uocabula occurrunt minus alibi lecta, quae frustra apud lexicographos quaesiueris, inserenda hinc merito suis locis.

Leuis-

Leuiſſimum uideri poſſet, et uix operae pretium de ACCENTIBVS diſquirere, tum aliis, tum praecipue Graecorum; uel duo tamen argumenta inuitare id potuere, ſenſus genuinus effatorum, etiam apud medicos, eruendus beneficio illorum, et quod communiter a non paucis inter recentiora inuenta uel additamenta grammaticorum habeantur. Quid obſtat, quo minus id licuerit ex antiquitate quoque repetere medicorum ſcriniorum?

Si *Priſcianum* audiamus *Lib. de accentibus*, accentus eſt certa lex et regula ad eleuandam et deprimendam ſyllabam uniuscuiusque particulae orationis; puta in pronunciatione uocis articulatae et ſic ſyllabarum, huius uel illius linguae, maxime quae in cruce Saluatoris O. M. fuere ſacratae.

Cum enim uerba rebus ſint accommodata, et ad illas exprimendas, uel ſignificandas et concipiendas, inuenta, recepto conſenſu uniuscuiusque nationis hominum, commercium conuerſationis et collocutionis mutuae inter ſe exercentium, non parum diſcrimen poſitum eſt in enunciationis modulo, ut ſyllabae et uoces non in uniſono, ſi ita loqui fas eſt, efferantur, ſeu formatae emittantur.

Pro-

Profodia audit Graecis, latiori longe acceptione, quam hodie, fi quidem metris faltim ftrictius alligetur, re uera tamen quoad originem et ad litteram, eadem cum accentu Latinorum. Eleganter τόνος audit, tonus uocalis, q. d. extenfio, et decens applicatio, ut plura alia differamus ad reliqua.

Medium quid concipere liceat per accentus, inter muficam et metricam ftructuram, cum quibus tamen accentus et commune quid habet, et fororians, fed fpecifice magis applicatum. Probant id et confirmant elocutiones non tam Sinarum, quas uelut cantillando formant, quam et uelut idiomate aliquo quidam noftrates, ut fi audias etiam Germanos certi diftrictus, itidem cantillationem differentem ab aliis, faltim affectatam, et confuetudinariam concipere liceat, et ftatim hinc u. g. Silefium, Lufatum, aliumue, fibi relictum, dignofcere.

Tres uero tales eloquendi toni, a muficis et metricis diftincti, non parum tamen confoni et congrui iisdem principales noti funt, miffis pluribus partim Latinorum apud *Prifcianum*, qui decem numerat, partim Hebraeorum ipforum. Tales funt *acutus*, *grauis* et *circumflexus*, receptiffimi et notiffimi apud *Graecos*, ufitati apud *Latinos*, et analo-

analogice etiam *ſacrae linguae* applicandi facile, immo et aliis ſimiliter, quamuis latius, nec ſine diſcrimine aliquo, ſingulae quippe ſua flexione et tono gaudent.

Sic notabile eſt, acutum apud *Germanos* etiam in uocibus quinque ſyllabarum poni in prima, u. g. Ungerechtigkeit, Unbarmherzigkeit, Ungelegenheit, et reliqua. Apud *Graecos* uero ordinarie, et adaequate, analogice, apud *Latinos*, in antipenultima, uel penultima, uicarie et interrogatiue in ultima, grauem uero in ultima ſolum, circumflexum in ultima uel penultima uideas.

Non occupabimur aeque in accentibus *Hebraeorum*, de quibus et orthographiae linguae Hebraicae uideri meretur *Ioannes Reuchlinus*, *Buxtorffius Tr. de punctorum uocalium, et accentuum in libris V. T. Hebraicis origine*, et alii. Commune tamen poſtulatum fere eſt, et dubium de aetate accentuationis, num recentior ſit, et a Grammaticis poſteriorum ſaeculorum oriunda, an primaeua, ab antiquitate, litterata ſaltim, repetenda, et ſic uelut connata.

Quod ſi hinc pro noſtro ſcopo euoluere uelimus auctores, uidetur prius illud praemittendum, accentus eſſe et concipi hinc poſſe uel ſcriptos, uel non ſcriptos. Prior

modus

modus apud Graecos potiſſimum obtinet, cuius linguae genus hoc uelut proprium et peculiare eſt, uel fuit quoque iamdudum, unde etiam apud illos habetur συναγωγὴ τῶν πρὸς διάφορον σημασίαν διαφόρως τονουμένων λέξεων, κατὰ στοιχεῖον, *collectio uocum quae, pro diuerſa ſignificatione, accentum diuerſum accipiunt, et uice uerſa.* Sic, ut in bona cauſſa uel tria uerba ſufficiunt, αὔτη, αὐτῇ, *Luc.* II, u. 38. εἶς, εἰς, Βασίλεια, Βασιλεία id edocent ſatis et notiſſima ſunt.

Quemadmodum autem apud Graecos actu magis frequentantur, et appoſiti accentus uel inſcripti uiſuntur; ita apud Latinos potentia ſaltim, impliciti, recepti ſunt et uſitati, quamuis non ſcripti aeque, quod uerbis *Quinctiliani*, plura aliis loquendi genera, apud hos breuiſſima ratio. Vſus enim tam ſcribendi, quam eloquendi magiſter eſt, unde et in hac uel illa natione natis ſuſuperfluum fuit addere, uel ſignare accentus, ubi uſu expertis iamdum ſatis ſuperque de hoc conſtitit. Adeoque fere in aduerbiis ſaltim quibusdam, in uocales terminantibus, grauis, in ablatiuis circumflexus adhuc quibusdam conſueto more impoſitus ſcribitur, aliis paenitus haec omnia negligentibus.

Aſt

Aſt hos ipſos accentus laudatos praecipuos, hoc ipſo nomine et ſignis quoque, iam olim uſitatos et cognitos fuiſſe, neque adeo recentes, uel recens natos, non difficile fuerit oſtendere, ſi auctores utriusque linguae, Latinae et Graecae conſulamus, ex quibus unum alterumque ſaltim breuitatis ergo laudabimus.

Primus inter hosce ſit grammaticorum parens, laudatus *Priſcianus*, qui curatiſſime *loco citato* haec tradit, ſiue fundamenta ſpectes, ſiue ſcribendi figuram et typum, ſiue uſum et exempla, latius apud eundem uiſenda, cui lubido eſt, neque enim uacat, uel opus eſt, ea huc transſcribere.

Alterum locum teneat *M. Fab. Quinctilianus*, qui Lib. I. Inſtitut. Orator. cap. 9. p. m. 32. quod eſt de uirtutibus et uitiis orationis, inter alia, adhuc difficilior, *ait*, obſeruatio eſt per tenores, quos quidem ab antiquis dictos tonores comperi, ut uidelicet declinato a Graecis uerbo, qui τόνους dicunt, uel accentus, quos Graeci προσωδίας uocant, etc. ubi acutae, flexae et grauis aliquoties meminit, ubi et plura habet. Vixit uero ſaeculo primo a N. C.

Audiamus et *A. Gellium L.* XIII. *N. A. c. 6. p. m.* 307. quos Graeci προσωδίας dicunt,

cunt, eas ueteres docti tum notas uocum, (directiuas) tum moderamenta, (flexionum) tum accentiunculas, tum uoculationes appellabant. Vt adeo de Latinis et Graecis, qui et ipsi iam ordine laudandi ueniunt quidam, nullum sit dubium.

Praecipuus inter hos est diffusissimus scriptor Graecus, idemque medicus, *Pergamenus*. Hic enim in explicando *Coo*, occupatus *L. V. Aphor. Comment.* 49. Ἐς ὑστερέων ἐκπτώσιας πταρμικὸν ἐπιτιθεὶς, ἐπιλαμβάνειν τοὺς μυκτῆρας καὶ τὸ στόμα. *Ad secundas deturbandas, sternutatorio immisso, nares et os apprehendito*; egregie applicat accentuum rationem, et memorat, quem non pigebit adscribere integrum: οὐ περισπῶντας, *inquit*, χρὴ τὴν ὑστάτην συλλαβὴν ἀναγινώσκειν ὑστερῶν ἀλλὰ βαρύνοντας ὑστέρων. (οὐ γὰρ δὴ αὐτὰς τὰς ὑστέρας ἐκπεσεῖν βούλε) διὰ τῆς γενομένης ἐντάσεως, διὰ τῶν πταρμικῶν φαρμάκων, ἀλλὰ τὰ καλούμενα χόρεά τε καὶ ὕστερα. *Non circumflexa ultima syllaba* ὑστερῶν *legendum, (ita enim uterus significaretur,) sed grauata* ὑστέρων. *Neque enim uterum ipsum sed secundinas deturbari uult per sternutatoria medicamenta contentione adhibita.*

Vti uero haec referenda sunt ad uariantem lectionem, et sic scriptionem, ita non diffi-

diffitendum, uideri auctorem hunc, *Galenum*, uel ſcribere uoluiſſe ὀξύνοντας pro βαρύνοντας *acuentes* pro *grauantes*, uel latiori ſenſu poſterius hoc pro priori accepiſſe.

Et ſic ordine deducimur ad ipſum Philoſophorum principem, *Ariſtotelem*, qui *Lib.* I. *de Sophiſt. Elench. c.* 4. ubi agit de fallaciis in dictione conſiſtentibus, t. 8. Ex accentu, ſcribit, ἄνευ γραφῆς, in non ſcriptis diſſertationibus, haut facile, eſt efficere argumentationem; ἐν δὲ τοῖς γεγραμμένοις, *ſed in ſcriptis*, et poematis potius. Explicat hoc exemplo, loci *Homeri Iliad.* IIII. ubi dubium, ex uoce οὗ abſurde dicta uiſa, ſolui, a quibusdam per accentum, refert, τῇ προσωδίᾳ, λέγοντας τὸ οὐ ὀξύτερον, *dicentes illud* ου *accentu acuto eſſe* notandum; addit et aliud.

Et, ne quis dubitet de genuino hoc libro et loco, teſtis itidem eſt *Galenus*, qui illum ſuum facit, et uiſum lectumque laudat, et comprobat, *L. de Sophiſm. c.* 1. ubi et exemplum aliud affert. Idem etiam *comm.* 2. *in progn. Hippocr. t.* 39. meminit, diſtinguendum eſſe ex accentu ὤχραν, *ochram*, pro genere terrae, penultima acuta, et ὠχρὰν, *croceam*, ultima acuta, ut loqui amat.

Liceat uero et illud addere, ſcripta ſine accentibus uiſa non derogare exiſtentiae, et aliis cum illis exaratis. Sicuti enim etiamnum hodie uelut compendio quodam ſcribendi, ut in *Ebnſina* Arabice excuſo, in Bibliis Hebraicis non punctatis, et quotidiano more puncta ſaepe omittuntur, ita et olim omiſſa fuiſſe credibile eſt, non quod ignota eſſent, ſed quod ita placeret.

Valet idem de punctis ſtrictiſſime dictis apud Latinos ipſos. Oſtendere poſſumus haec in nummis antiquiſſimis, quae tamen fruſtra abſolute, etiam ſaeculis mage floridis, expreſſa requiras. Quamobrem, ſi noſtram mentem exponere fas eſt, uidetur omnino contradictio in adiecto, ſi dicamus uel fingamus linguam aliquam ſine uocalibus, illa enim pronunciari non ualet.

Quandoquidem itaque eſſentiale, hoc eſt, unicuique linguae, ut conſtet uocalibus et conſonantibus, quis auſit dicere non expreſſas illas, quod nullae fuerint? ſi uero fuere, liberum hoc minimum fuerit et indifferens, ſaltim certis caſibus. Abſolute enim ſi ſunt neceſſariae, exprimi et ſignari debuere omnino, et ſicubi id non factum, tamen ſupponi. Idque rectius longe uidetur et naturae rei magis conforme hinc, puncta uocalia primaeua

maeua et cum consonantibus coaeua fuisse omnino.

Ausim dicere, hoc innuere et maxime emphatice Saluatorem O. M. in loco classico *Matth.* V, 18. quando praemisso uelut iureiurando, cui contradicere neutiquam licet, effatur, ad finem usque mundi extremum: *ἰῶτα ἓν, ἢ μία κεραῖα, οὐ μὴ παρέλθῃ ἀπὸ τοῦ νόμου, iota unum, aut unus apex non praeterierit ex lege.*

Innuere enim uidetur (1.) nec minimam consonantem auferendam, delendam, expungendam, י enim Hebraeum, non minus ac in reliquis sacratis linguis, est minima littera, i. Graecum et Latinum, pariter ac illud, est omnium reliquarum radix uelut prima. (2.) nec minimum punctum uocale, et uocis sonum modificantem accentum, *κεραίαν τῆς γραμμῆς*, ut illud *Plutarchi* in *Numa* huc referamus, punctum, eminentiam, apicem, ein Strichlein; essentialia illa puta, et sic maxime coaeua, et simul nata, adeoque et in re ipsa indiuulsa. Apicem autem esse etiam accentuum notam, non solum res ipsa loquitur, sed et *Quinctilianus* confirmat L. I. Inst. Orat. c. 12.

Omnis alia explicatio mentem uix satiat, uel rei naturae et effato Diuino concipiendo satisfacit. Et contra ea haec ipsa abunde

confirmat, ſtabilit et munit in perpetuum aeternum ac inuictum DEI uerbum, et ipſummet plenum gratiae et ueritatis, in genuinum animae piae ſolamen. Idem quoque maieſtati Diuinae magis congruum, unde et tabulae legis profectae, geminae illae, genuinum hunc typum expreſſerint ſine dubio.

Nec in illis aliisue ſuffeciſſe putauerim tres Hebraeorum litteras אוי, quas matres lectionis uocant, atque olim omnium uocalium inſtar, ante inuenta puncta uocalia, fuiſſe creditas. Vid. *VVallis Gramm. Anglic. S.* II. *p.* 5.

Et haec quidem de illis ualent, ubi aliquid momenti ſubeſt, ſiquidem, uerbis et monito *Galeni*, aſſidue in animo habeas, oportet, ſtudendum eſſe nominibus tantum, quantum ad illuſtriorem ſignificationem eorum, quae dicimus, ex illis iuuari poſſit, et reliqua. Vnde et alibi, ſi dubium occurrat, in indifferenti caſu, ut in uoce γαῦλος, *gibbus*, rarius uſitata, utrum poſtrema ſyllaba acui, an penultima circumflecti debeat, perinde id eſſe, ſeu parum intereſſe eleganter ſcribit *L. de fract. comm.* II. *T.* 69. pluribus legendus, id quod hodierno uarianti ſcribendi Latine mori facile applicari poteſt.

De

De accentibus uero Latinorum quoque optime agit et legi meretur, uir summus, *Noris, Cenotaph. Pis. Diss.* IIII. *p.* 488. ubi contra *Vossium* notat, ex utroque lapide Pisano, uetustissimo, non esse recentem consuetudinem apponendi accentus. Finimus haec addendo, quod in codice Graeco famoso Dioscoridis bibliothecae Vindobonensis accentus et spiritus omnino desunt, et si qui in eo reperiuntur, ii recentiori manu sunt addidi, referente *Nesselio in Catal. bibl. Vindob. P.* III. *p.* 3.

II.

GEORG. VVOLFG. VVEDEL.

in Exercitatt. Medico-Philolog. etc. Cent. II. *Dec.* I. *Exercit.* VII. *p.* 62. *sqq.*

DE

NVMMIS NOVI TESTAMENTI.

TRitissima est *παροιμία: Pondere, mensura, numero DEVS omnia fecit.* Spectabant enim et haec ad artificiosissimam mechani-

cam Sapientissimi Opificis, in qua tam accurate, tam exacte et exquisite sibi respondent, ut humanum captum superent.

Valet id non solum in physicis, seu naturae operibus, in animalibus, in uegetabilibus, omnibus uno uerbo regnis; sed etiam in uita humana, politicis, moralibus, commerciis maxime opus est statice. Applicatum id merito est ad ipsam iustitiam distributiuam, unde libella est iustitiae emblema, ad proportionem, hinc arithmeticam et geometricam dictam, ad temperamentum, ad pondus quasi definiendum, ad alia.

Quorsum haec adducamus, facile est coniicere. Est et in nostra inprimis Medicina opus ponderibus, mensura, numero, et eorum maximus locus, seu physiologiam spectes, statum secundum naturam, seu pathologiam, ubi singula etiam gaudent suo numero, proportione, positura, seu in reliquis omnibus partibus haec requiramus.

Quis nescit pondera medica definire praebia, et suum cuique tribuendum quoque esse apud medicos? ne huc ipsum demensum cibi, potus, assumendorum, arcessamus, in quo *Sanctorius*, *Lessius*, et alii plurimum desudarunt, et ad ipsam quasi hyperbolen.

Quid

Quid multa? cum et diffusissimus sit artis usus, et mutua quaedam ad illustrandas etiam alias scientias consensio in litteratura communi, constituimus in praesentiarum, bono cum DEO, paucula admodum delibare de NVMMIS NOVI TESTAMENTI. Illud enim cum et utile, et iucundum, et hodierni aeui studiis non uideatur incongruum, liceat nobis et nostro loco illorum uestigiis insistere, qui profundissimam et inexhaustam Sacrorum fontium sapientiam mirantur et rimantur.

Curiosissima sane non minus quam utilissima est doctrina de re nummaria antiqua, tum in uniuersum, tum in Codice Sacro, et, ob diffusiorem illum campum, iam saltim in nouo foedere. Dici uero hinc potest partim in genere de nummis, partim in specie, de his illis; uariant enim substantia, seu materia, ex qua: uariant auctoritate publica, et ualore, ne de forma interna et externa, aliisque plura dicamus.

Enimuero occurrunt in N. T. non raro nummi, eorumque mentio, seu ut pretium aestimationis, seu ut laboris compensatio, uel quasi, seu ut necessarium medium et instrumentum uictus, commeatus, commerciorum, seu aliis quoque titulis.

Sic, quemadmodum apud Latinos aeris uox ufitatiffima eft, ad exprimendam pecuniam, uel monetam quamcunque, unde illud uulgatum: eget aeris et aere, in aere effe, obaeratum effe, aes alienum et reliqua, feu fimilia; ita quoque in N. T. χαλκοῦ uox idem fignificat, generaliori et latiori acceptione.

Exemplum tale occurrit *Marc.* XII, 41. ubi, quando refert, obferuaffe Saluatorem, πῶς ὁ ὄχλος βάλλει χαλκὸν εἰς τὸν γαζοφυλάκιον, *quo modo populus mitteret aes in gazophylacium*, intelligitur pecunia. Primitus enim frequentiffimus aeris ufus loco pecuniae, uel in pecuniam formati, ob formam pecudis impreffam, fuit, immo etiamnum durat, et puri aeris, et cum aliis remixti.

Tria enim hanc in rem ufitatiffima metalla, et uelut propria ac ordinaria ad monetam cudendam, fuere, immo materiam etiamnum miniftrant, aes, aurum, et argentum. Patet hoc non modo ex nummis aeneis antiquiffimis Romanis, nam hi ob uaftitatem imperii potiffimum fuperfunt, de maieftate priftina teftantes, quibus infcriptae inprimis litterae: A. A. A. F. F. i. e. Auro, Argento, Aere, Flando, Feriundo, leguntur.

Idem

Idem hoc euidentiſſime ex N. T. tabulis quoque probari poteſt utrumque. Quod enim apud *Marcum* exprimitur χαλκὸν, c. VI, 8. uerbis: ἵνα μὴ αἴρωσιν, inter alia, εἰς τὴν ζώνην χαλκόν, *ne ſumerent in zonam aes*, id *Lucas* c. VIIII, 3. reddit ἀργύριον, *argentum*, uel pecuniam: *Matthaeus* uero cap. X, 9. complete et diſtincte, ſeu ſpecifice, μὴ κτήσασθαι χρυσὸν, μηδὲ ἄργυρον, μηδὲ χαλκὸν εἰς τὰς ζώνας ὑμῶν, *ne comparate aurum, neque argentum, neque aes in crumenas ueſtras.*

Vbi ſimul id in plurali effertur, ut innuatur quaſi, diſtinctas zonas, crumenas, marſupium, γλωσσόκομον, inſeruiiſſe ad aſſeruandum diſtinctam monetam; ſaltim ſi in copia aliqua praeſto eſſet.

Et ſecundum ipſam hanc materiam communem pecuniae, ſeu nummorum, etiam diuerſa nomina ſpecialia impoſita uel enata, modo a materia, et re, ut ἀργύρια, modo a ualore, ut δηνάριον, et alia eiusmodi plura, quo de in ſequentibus quaedam addemus.

Eſt uero et hocce notabile in genere de nummis N. T., maxime et potiſſimum intelligendos eſſe ac denotari *Romanos*. Ius enim cudendae monetae ad regalia maieſta-

tica unice pertinet. Iam uero ſub domino, ſeu imperio Romano degebat Iudaea, in prouinciam redacta. Teſtantur idem clariſſime ipſa nummorum nomina, denarii, aſſarii, quadrantis, et aliorum.

Idem tenendum eſt etiam de *Graecis*; ab his enim ſplendor rei nummariae ad *Romanos* tranſiit, quem ſi non ſuperare, ſaltim aequare ſuis anniſi ſunt, quod ex comparatione facile ad oculum claret. Teſtes ſunt ſtateris, drachmae, minae, talentorum nomina, non minus occurrentia.

Ipſi uero *Hebraei* nummi et tunc temporis iam uidentur paullo rariores fuiſſe, neque ulli fere hodie genuini, uel ſaltim rariſſimi ſuperſunt, cum longe antiquiores excidio urbis ſanctae Graeci extent elegantiſſimi non pauci, aurei, argentei, et ipſi aenei quoque.

Delibari tamen hic et memorari poteſt diſtinctio monetae, ſeu pecuniae, in publicam, ſeu communem, et priuatam quaſi. Teſtis eſt ipſe *Ioſephus*, *Antiq. Iud. L.* XIIII. *c.* 12. Iudaeos nullam pecuniam publicam cudiſſe, uel obtinuiſſe propriam, praeterquam ſacram; id quod ſeorſim repetendum eſt in hiſtoria paſſionis. Et hanc, in honorem Diui-

Diuinum ac rei ſacrae, Romanos Iudaeis reliquiſſe integram arbitrari fas eſt.

Referri et illud meretur, contineri et memorari in N. T. nummos minimi, medii et maximi moduli, ſi illud ita uocare licet, non tam puta illo ſenſu, ac uulgo hodie nummi ſingulares ita uocantur, quam quoad pretium, ſi non diſtributiue, ſaltim collectiue. Memorantur enim minae, et talenta: recenſentur ſtateres, denarii, et aſſes.

Nec illud omittendum uidetur, ad illuſtrandum et intelligendum τὸ νόμισμα τοῦ κήνσου, *nummum cenſus*, *Matth.* XII, 19. ſq. quod nummi ordinarie (1.) geminam habuerint faciem, prorſam cum icone u. g. Imperatoris, et aduerſam ſeu oppoſitam, (reuerſam uulgo uocant hodie,) quod hodienum adhuc obtinet; (2.) inſcriptionem, litteris uel ſcribendi compendiis plerisque, uel quibusdam etiam, maxime primarii nominis, expreſſis integre.

Ex quo facile patet, quare quaeſiuerit de nummo cenſus Saluator, denario oblato: Τίνος ἡ εἰκὼν αὕτη καὶ ἡ ἐπιγραφή; *Cuius eſt icon haec et inſcriptio?* loquitur enim de icone, Imperatoris, nominatim Tiberii. Aduerſa enim facie figurae aliae potius plerumque extabant, eaeque uariae, uelut lemmata

mata quaedam definita et indefinita, cuius gratia excuſi erant; id quod uel una oculari demonſtratione ſtatim patere poteſt et cognoſci.

Et ſic ad ipſius νομίσματος et κήνσου notionem quoque deliberandam, inuitamur. Enimuero νόμισμα h. l. nihil aliud notat uel significat, quam pecuniam ſignatam, monetam uſualem, nummum, cuiuscunque tandem materiae, ponderis, pretii, et ualoris, modo indefinite et in genere, modo definite hunc illum in ſpecie.

Κῆνσος uero ex Latio deſumta uox, tum ἀπογραφὴν, ſeu bonorum aeſtimationem, tum ipſa bona, et eorum deſectam portionem arguit. Ita enim, ut cum *Tullio* loquamur, ex cenſu quotannis tributa conferebantur, et in cenſu habendo poteſtas omnis aeſtimationis habendae ſummaeque faciendae cenſori permittebatur. Adeoque numiſma cenſus erat tributum annuum praeſtandum Imperatori, cuius prorogationis et indictionis ergo cenſus inſtituebantur certis annis, quo de ſub cenſus Auguſti recenſione egimus quoque.

Tacemus etiam huc referri poſſe τὰ τέλη, *telonia*, ſeu tributa non ex bonis, ſed alio titulo, perſonali forte, uel uiarum et tranſitus, ſoluen-

ſoluenda fuiſſe. Nummi enim, ſeu pecuniae, re uera ſunt uelut anima belli et materialis reipublicae, nerui rerum gerendarum quarumcunque.

Occurrit et non uno loco uox χρημάτων in N. T. pro pecunia et diuitiis, quae loca hic inſeri poſſent et dilucidari ſeorſim, ſi id opus foret. Satis eſt nobis κατ' ἐξοχὴν et manifeſto ſumi etiam ibi pro nummis, quamuis magis indefinite.

Supponi poteſt quoque illud, nummos in N. T. alios expreſſos ſuo nomine genuino deprehendi, adeoque explicito, et ſtatim ſuo, ut denarii, ſtateris: alios uero implicite, tum communi χρήματος, ἀργύρου, νομίσματος, tum ſubaudiendis numeralibus epithetis, uel praedicatis, quod in uoce μυριάδες ualet, ne de aliis pro ſynonymis habitis uel non ita receptis, et aeque claris dicamus quoque.

In nummis N. T. perputandis, ſi a genere ad ſpeciem ipſam digrediamur, perinde fuerit, utrum a maximis ad minimos, an a minimis ad maximos orationem dirigamus. Quemadmodum enim parum intereſt, utrum materfamilias ex cella, an ex ſummo aedium pauimento arceſſat, quo opus habet, modo nouerit, quo loco ſingula reperienda, cui uſui impendenda ſint; ita etiam ſe habet noſtra

ſtra memoria et ingenium. Quae inſcripta et uelut alluuione memoriae impreſſa ſunt, legi quaſi uel expromi queunt pro lubitu.

Nobis in praeſentiarum commodum uidetur ſecundum ordinem alphabeticum illos breuiter enarrare, idque tum ideo, quia ſic minus nummorum gnari, ordine hoc naturali obuio, ſtatim capere et intelligere cuiusuis nomen, ualorem, pondus, materiam posſunt, illudque huic illi loco textus applicare, et ſibi conſulere; tum maxime, quod hoc modo, licet mere per accidens, minimi nummi uelut caput una conſtituant, ſeu initium dicendorum, maximum pondus caudam, ſeu finem.

Ἀργύριον in N. T. modo in genere notat argentum, pecuniam, indefinite puta, quamuis et argento ſpeciatim conſtantem: laxius uero aequiualentem aliam materiam, facile permutandam, idque magis in ſingulari. Tale exemplum occurrit *Matth.* XXV, 18. *ἀπέκρυψε τὸ ἀργύριον, occultauit argentum*, ne plura laudemus, poſſunt enim facile ex harmonia Euangelica omnia huc reponi. Modo in ſpecie certos nummos argenteos, quo loco notatu dignum arbitramur, argenteos quidem alios maiores occurrere et innui, alios minores, quales ſunt denarii

narii u. gr.; attamen, quando in plurali dicuntur ἀργύρια, intelliguntur definiti, et nominatim ſtateres. Sic huius generis fuere triginta argentei, Iudae proditori porrecti, quos ſiclos ſeu ſtateres fuiſſe, receptiſſima eſt ſententia, unde et in quibusdam editionibus, *Matth.* XXVI, 15. pro οἱ δὲ ἔστησαν αὐτῷ τριάκοντα ἀργύρια, legitur: στατῆρας, quod ſaltim explicationis gratia primitus margini adſcriptum fuit; unde cum *Luc.* XXII, 5. dicitur: συνέθεντο αὐτῷ ἀργύριον δοῦναι, recte uertitur pecunia. Et, quando meminit *Actor.* XVIIII, 19. ἀργυρίου μυριάδας πέντε, aliud nomen ſubaudiendum eſt de quo inferius.

Cum ergo ἀργύρια, *argentei*, penderent ℥ß. ſeu drachmas quatuor, quae aequipollent dimidio imperiali noſtrati hodierno, monetae grauioris, ſchwehres Geld, ſumma emergit triginta imperialium receptiſſima, et a nemine, quod ſciam, negata, uel aliter definita.

Confirmant hoc circumſtantiae loci, et perſonarum, ſeu collegii, quod ſummam hanc perſoluit, ſynedrium ſcilicet, Pontifices, ſacerdotes: ſiue iam adhuc dum obtinuerint monetam cudendi poteſtatem integram; ſiue exoleto ac derogato iam iure eisdem aequiualentes denarii ſucceſſerint, quod perinde fuerit,

fuerit, retento ſaltim antiquo more templo debito, ſeu relligioſo cultui.

Idem hinc dictum eſto de ſumma pecuniae cuſtodibus ſepulcri CHRISTI a principibus ſacerdotum ſoluta, ne edicerent, quod re uera contigerat circa reſurrectionem eiusdem, ubi additur: ἀργύρια ἱκανὰ ἔδωκαν, *Matth.* XXVII, 12. non expreſſo numero, quo ipſo tamen innuitur, ſufficientem et proportionatam malitiae fuiſſe eandem.

Sequitur ἀσσάριον *aſſarion*, cuius gemino loco fit mentio, ubi de pretio paſſerum, uenditorum ſermo eſt, *Matth.* X, 29. οὐχὶ δύο στρουθία ἀσσαρίου πωλεῖται; *nonne duo paſſerculi minuto aſſe ueneunt?* Quod reperitur *Luc.* XII, 6. nulla differentia, quam quod eodem pretio duplicato etiam quinque uenderentur. Vbi idem notabile uidetur, quod et de aliis locis ualet, diuiſum ſaltim, ſeu unum recenſeri ab uno Euangeliſta membrum, quod alter coniunctim facit, et ſenſu utrobique quidem integro, ab altero tamen latius et plenius deſcripto refertur.

Immo plura hic occurrunt notabilia effata, quae delibari poſſent. Enimuero ſi rei nummariae doctrinam cordi habeamus et cognouerimus paenitius, aſſerere ac ſtatuere integrum eſt, quod *as* et *denarius* ſint duo

uelut

uelut ſumma et prima elementa omnium reliquorum nummorum, ſimplicia puta uel quaſi, quorum intuitu et compoſitione aliorum omnium notio clariori luce radiat.

Ἀσσάριον ſine dubio diminutiuum eſt, formatum ab aſſe. Quando minimam pecuniam ſignificare uolebant Romani ueteres, aſſem et libellam dicebant, quo de uid. *Taubmannus in Plautum*, *p. m.* 250. id quod de aſſe partim, tanquam genere, cum ſub illo comprehenſis, intelligendum fuerit: partim reſpectu aliorum ſuperiorum, intuitu aſſis, in cenſum uenientium.

An libellam de argento, aſſem de aere magis acceperint, dubium quidem, ueri ſimile tamen omnino apparet, putatur enim nummus argenteus aſſe ualens. Saltim inter exiguos nummos as hic fuerit praecipuus. Ipſe etiam as unum ſimul notat, teſte *Varrone*, *L.* VIII. *de L. L. p. m.* 118. quod etiamnum apud Germanos, aliosque, et inprimis in ipſo aleae ludo, ualet in hunc uſque diem.

Certiſſimum interim eſt, aſſem fuiſſe decimam partem denarii, unde hic et nomen ſuum obtinuit: aſſarion uero, ſeu as minor, fuerit as dimidius. Poſito hinc et rato, quod diximus, aſſem eſſe regulam quandam et canonem nummorum mediorum, non poſſu-

mus, quin huc referamus etiam ſub illo militantes minores, ſeu minutos magis.

Occurrunt quidem loca, ut apud *Plutarchum*, ubi etiam ἀσσάριον pro aſſe ſumitur uel accipitur; cum tamen minorum adhuc magis mentio fiat, conſultius uidetur ſequi diuiſionem ulteriorem. Non obſtat etiam, non ita obuium et certum uideri pondus aſſi asſignatum, cum alii ℥ß. attribuant eidem, alii ʒii, alii aliter; ſatis enim eſt noſſe, mutatum non ſemel fuiſſe aſſis pondus, adeoque id aſſignandum eſſe ad primam uelut originem.

Idem dixerimus de illorum ſententia, qui ἀσσάριον idem ſtatuunt ac λεπτὸν, modo cetera conſentirent, quare non errabimus, ſed facilius extricare nos poterimus, ſi hic ſtatim λέπτα quoque memoremus. Fuerit ſane hoc omnium minutiſſimae monetae ſeu nummorum ſpecies, unde *Luc.* XII, 59. τὸ ἔσχατον λεπτὸν, *ultimum minutum* dicitur, et pauperculam uiduam *Lucas* XXI, 2. memorat βάλλουσαν δύο λεπτὰ, *mittentem minuta duo* in gazophylacium, tanquam ſummam omnium minimam.

Lucem quandam his foeneratur *Marcus* XII, 42. qui cum idem factum recenſuiſſet, addit explicationis ergo, ἔβαλε λεπτὰ δύο, ὅ ἐστι κοδράντης, *immiſit minuta duo, quod*

eſt

est quadrans. *Chrysostomus* summam δύο μόνον ὀβόλων, *duorum solum obolorum*, definit pondere. Obolus uero pendebat scrupulum semis solum, oboli duo scrupulum unum, qui cum quadrans non uideatur alterius summae maioris, fuere, quibus extrema illa uerba suspecta sunt; timentes, ne irrepserint ex annotatione in margine, non enim hunc congruere calculum, quandoquidem septem λεπτὰ rentur confecisse aereolum, τοῦτ᾽ ἐστὶ χαλκοῦν.

Ast dudum notatum est, non tollerandam illorum criticam, qui, si non statim suus sit sensus, aliam caussantur uel fingunt quoque lectionem, uel plane delendum, seu expungendum ex textu, quod minus capiunt statim. Absit uero, ut tam iniurii simus in canonem scripturae; inprimis cum nulla id urgeat ratio; et in dubiis talibus potius illud: *plus ultra*; inuestigandum ualeat. Vt dicamus, quae nostra sit mens, *quadrans* sine dubio est relatiuum pondus, et quarta, uel subquadrupla pars. Videtur hinc *Chrysostomus* oboli nomine laxius et latius usus, aut eiusdem pondus suo tempore in nummis paullo minutum fuisse.

Adeoque κόδραντς, seu *quadrans*, fuerit quarta pars uel assis, uel denarii. Posterius uix uidetur, quandoquidem sic κόδραντς idem

 fue-

fuerit ac ſeſtertius, itaque aſſe tantum abeſt ut minor, ut potius duabus cum dimidia parte maior. Adeoque prius longe rectius aſſerendum.

Quamobrem, ſi ponamus, quod alibi exactius trademus, aſſem primitus conſtituiſſe drachmam unam, ſeu ʒiii, obolos ſex, gr. LX. fuerint ſine dubio gr. XV. quadrans aſſis. Adeoque duo aſſes, uel oboli minuti, uel minuta in genere, quid in pondere efficiant, uel habeant, res ipſa loquitur, et difficultate caret omni, quantum quidem nobis uidetur, ſaluo meliora proferentium uel demonſtrantium iudicio.

Atque ſic deducimur ordine uelut naturali ad *denarii* luſtrationem. *Denarius* nempe numiſmatis Romani, ſeu nummorum ſpecies frequentiſſima, adhuc hodie copioſe ſupereſt, argumento maieſtatis imperii Romani ampliſſimae, tam ad Graecas ipſas prouincias, quam Hebraeam ſeu Iudaicam deductae.

Nomen ipſum originarium Latinum hoc ſatis demonſtrat, unde δηνάριος uelut ex fonte ſine ullo dubio deriuandus eſt. Sicuti uero ſubaudienda eſt omnino uox nummus, ut hodie quoque uncialis audit imperialis, ſcilicet nummus; ita ſeorſim hic praedicari ſolet proprie et καθ' ἐξοχὴν de argenteo, non

niſi

nisi *ἀκύρως, καταχρηστικῶς*, improprie, abusiue et analogice, seu latius de aeneo uel aureo, quod dictum tamen aliquando legas.

Commodissima sane fuit figura et forma *denariorum* nummorum, non bracteata, ut suo tempore olim apud Germanos, tenuissima, non tenuis, mediocriter, quales sunt hodie nummi minoris paullo moduli, sed uersatilis quidem, attamen crassior magis, proportione comparata, et sic ferens aetatem, et per bis mille annos, si non ultra, iam perstans, et ad oculum uisenda, nec fragilis, nec alias perdenda tam facile.

Dicti uero sunt ita relatiue, respectu assis, primitiui et usitationis alterius, quod secundum *Varronem L.* IIII. *de L. L. pag.* 41. denos aeris ualebant, puta nummos, ut quinarii, (seu denarii dimidiati,) quinos; sestertius, quod semis tertios, *dupondius* enim et *semis* antiquis *sestertius* est. Et in hoc omnes consentiunt antiqui, nec aliter id in hunc diem explicatum est.

Et hinc apud *Plutarchum* legitur: *καὶ τὸ δεκάχαλκον ἐκαλεῖτο δηνάριον*, *nummus ex decem aeris uocabatur denarius.* Ex quo efficitur luculenter, asses fuisse nummos aereos, neque enim, quod sciam, idem unquam de aliis fuit praedicatum, et *denarium* conse-

quenter, nummum argenteum, in commutata alia materia, non pondere ſed ualore exaequaſſe decem aſſes, in aere ſcilicet, ut quod alias ualerent diuiſim decem nummi aerei, aſſes uocati, id *unus denarius argenteus* praeſtaret.

Hic uero dubium occurrit potiſſimum, de aſſis pondere, cum de ualore ex pondere argenti poſſit argumentum ſeu deciſum facilius, quam uice uerſa, fieri. Communiter as et libra eo ſenſu habentur pro ſynonymis. Confirmat idem *Varro l. c. p. m.* 41. Nummi denarii decuma libella, quod libram pondo as ualebat; adeoque as erat librae pondus. Idemque in docimaſtice metallica locum habet.

Hoc ſi de libra Romana, quae cum medica hodienum adhuc uſitata, eadem eſt, intelligatur, poſtulatum eſt maxime, ut nobis quidem uidetur, inconueniens, potuiſſe tunc, quod hodie non poteſt, ubi tamen longe maior copia aeris, extat eruta, pro denario ſeu tribus noſtris groſſis emi, uendi, nedum in monetam excudi libras decem cupri.

Sed haec longius nos ad alia deducunt, quam noſtro ſcopo quadrat, unde id alii occaſione plenius examinandum ſeponimus.

Potius

Potius iam de pondere erimus ſolliciti. Enimuero diſceptant inter ſe eruditi, utrum coincidant et eiusdem ponderis fuerint olim drachma et denarius, his affirmantibus, illis negantibus.

Sed quamuis ueteres quidam denarii uideantur excedere paullo pondus drachmae unius, plerique tamen, et ex iis ſerrati ipſi longe optimi, illud uel aequant, uel ne aſſequuntur quidem, unde et conſultius et longe credibilius ſtatuitur, idem utriusque, drachmae et denarii, pondus fuiſſe. Confirmat idem ex profanis ſcriptoribus inſtar omnium *Galenus* noſter ipſe. Clariſſimis enim uerbis ſcribit: *drachma eſt, quod Romani denarium appellant. L.* VIII. *de compoſ. S.* I. *c.* 3.

Vbi notandum eſt, quando drachma hoc caſu abſolute ponitur, ſubaudiendum eſſe argenti ſcilicet, quod ibidem idem addit, et *Ariſtophanes in Pluto* ἀργυρίου δραχμὰς, *argenti drachmas*, ut *Plauto* nummus argenti dicitur, meminit. Pondera enim et nummi aequipollent, gemino hoc uſu gaudentes quoque, pro moneta et pondere, quia ad pondus nummi confecti eſſe ſolent; unde et coniunctim pondera haec apud *Roſenbachium Omniſcient. Chriſt. pag.* 34. ſub uno capite recenſentur.

Octo uero drachmae faciunt unciam, uel ʒviiß. quod *Galenus* itidem notat, ex quo latitudinis illius, uel diuersitatis cuiusdam laudatae, et inde oriundorum clauis et ratio peti potest. Adde, quod Graeci liberius et laxius paullo extenderint potius pondus, quam restrinxerint, ut Romani. Et sicut drachma est octaua pars unciae, ita decima minae.

Neque hinc culpandus *Plutarchus*, quando drachmam denario, librae minam aequauit in uita Fabii et Antonii. Concinit enim *Galeno*, neque argui potest ullo iure uterque, tanquam nescius Romani moris. Immo drachmam eandem esse cum denario manifesto patet ex *Luc.* XV, 8. ubi femina memoratur habens drachmas decem, quarum unam cum perdit, accensa lucerna, sedulo quaerit, donec inueniat, quam perdiderat.

Idem uero ex compositis quoque emicat non minus. Quid enim est δίδραχμον, *Matth.* XVII, 24. quam duo denarii? quid τετράδραχμον; quam stater, seu quatuor denarii?

Vtque de ualore comparato uerbum addamus, sunt quidam, qui duos grossos cum dimidio, alii, qui tres cum dimidio exponunt denarium, einen Schreckenberger; consultius tamen numerus integer, seu rotundus, ut uocant, trium grossorum redditur, monetae

scilic.

ſcilic. grauioris. Vnde, quando *Matth.* XX, 2. dicitur conuentio facta cum operariis ἐκ δηναρίου τὴν ἡμέραν *in diem denario*, zum Taglohn, et hinc acceperunt ἀνὰ δηνάριον, *ſinguli denarium*, ita intelligendum eſt, quod pretium operarii, per diem etiamnum hodie ſeruatur, ut tres, uel tres cum dimidio groſſos accipiant.

Non opus hinc eſt omnia loca, ubi denariorum fit mentio, ſingulatim repetere. Memorantur nempe modo unus, modo duo, modo quinquaginta, modo centum, modo ducenti, qui faciunt XXV. imperiales, trecenti, quingenti, quorum omnium ratio patet, ſi multiplicentur per tria, et hinc diuidantur per uiginti quatuor, pro imperialibus, uel alius monetae modulo, unde emergit ſumma debita et genuina, ad noſtram monetam reducta. Par enim eſt ratio aliarum, pro regionum diuerſitate.

Cumque, per dicta, ςατὴρ, cuius mentio fit *Matth.* XVII, 24. ipſius textus uerbis contineat duo δίδραχμα, adeoque unciam ſemis, ſeu drachmas Atticas quatuor, atteſtante id inſuper *Ioſepho*, eiusdem ponderis et ualoris non immerito iudicatur cum ſiclo Hebraeorum; in quo nulla alia difficultas ſupereſt. *Tetradrachma* ipſe *Cicero* habet,

et nummi tales antiqui, huius ponderis, uiſuntur etiamnum hodie.

Occurrit etiam λίτρας nomen in N. T. *Ioan.* XII, 3. et 5. ubi λίτραν μύρου νάρδου refertur potuiſſe uendi, trecentis denariis, qui faciunt triginta ſeptem imperiales cum dimidio. Sed librae hoc nomen non nummi pondus, ſed mercis uenalis notat; neque apud ueteres in re nummaria recenſenda uſitatum, ut hodie alicubi. Ceterum intelligenda non eſt libra ponderis ciuilis, ut hodie loquimur, ſed Romana, ſeu, quae eadem eſt, medica, unciarum non ſedecim, ſed duodecim ſaltim.

Loco huius uero uox μνᾶ, *mina*, in hoc paſſu uſitatior eſt, quam centum drachmarum non dubitamus itidem cum *Galeno* pro libra aeſtimare ac declarare, *L.* IIII. *de comp. med.* κ. γ. *c.* 13. Romana ſcil. et ſic medica. Et repetit idem *L.* V. c. 12. *mina*, inquiens, *continet denarios centum*, puta itidem numero rotundo elatos. In ſacris enim, ſeu N. T. hoc loco, ubi etiam huius fit mentio, ſine dubio intelligitur Romana. Alexandrina uero ℥x, et ℥i aenarios VIII. adeoque CLX. drachmas habuit, teſte *eodem L.* II. *de comp.* κ. γ. *c.* 17. p. 230. Apud Iudaeos uero libras duas ſemis pependiſſe refert *Ioſe-*

phus

phus p. m. 478. Sed, si Romano more aestimandi sint nummi in N. T. codice, liceat et illud pondus hic retinere.

Notabile uero insuper est, cum apud *Lucam* XVIIII, 13. et aliquot sequentibus μνᾶ dicatur, quod apud *Matthaeum* XXV, 14. sqq per τάλαντον effertur, uidetur citra ullam contradictionem apparentem expressum fuisse a Saluatore utrumque pondus, sed disiunctiue, ut mens sit: ut cum quispiam peregre proficiscens uocauit seruos suos, et tradidit illis bona sua, et huic quidem dedit quinque talenta, (ut alteri totidem minas) alii autem duo, alii uero unum, unicuique κατὰ τὴν ἰδίαν δύναμιν, *secundum ipsius facultatem*. etc.

Et hoc demonstrant non modo diuersa praedicata; aliud enim longe est *talentum*, aliud *mina*; sed et diuersae personae, apud illum indefinite, (seruis suis,) apud hunc definite (uocatis decem seruis suis,) cum tamen in ἀποδώσει, utrobique non nisi tres memorantur, iussi rationem accepti, et cum foenore expeditae negotiationis suae reddere.

Ex quibus singulis, probe collatis et pensitatis, efficitur, uni plura Spiritus Sanctissimi dona, alteri pauciora concredita, singu-

lis

lis probe et ex conſcientia impendenda, ut fructus debitos foenerent. Hinc ergo, uel ex nummorum pondere et ualore maiori, allegorice donis laudatiſſimis collatorum, illuſtrari textus uberior ἔμφασις poteſt, quantum quidem nobis deuote illa cogitantibus patet.

Ceterum et τάλαντον, ſeu *talentum*, ſpeciatim et pro certa nummorum quantitate, eaque non leui, et in genere eminenti pondere, in N. T. acceptum legitur. Prius ex dictis patet, ubi in ſubſtantiuo, τάλαντον, τάλαντα, dicuntur *l. c. cit.* Alterum ex *Apocal.* XVI, 21. ubi χάλαζα μεγάλη, ὡς ταλαντιαῖα, *grando magna ſicut talentaris*, decidua de coelis, in adiectiuo, refertur.

Regulat denique omnia haec certus numerus, unicuique nummorum mentioni uel recenſioni factae hinc inde additus. Verum ut non reputemus minorem claſſem, operae pretium fuerit, ſaltim maiorum meminiſſe, et ſic coronidem his omnibus imponere.

Inſtar omnium ſint uoces μυριάδος et μυρίων, quae ſumma ut praecipua et eminentiſſima in Sacris occurrit in numeris exprimendis; ita duplici potiſſimum notione etiam in nummis. Apud *Matth.* XVIII, 24. memorantur decem millia talentorum, ſeu

ſeu mentio fit *μυρίων ταλάντων*, quae fecerint, decem millibus cum LX. minis, ſeu 6000. drachmis, diuiſis, ſexaginta millena millia, 6000000. imperiales, ſeu ſexaginta tonnas auri, communiter dictas, ſaluo errore calculi.

Talentum enim *magnum*, elogio *Plauti Moſtell. Act.* III. *Sc.* I. habuit LX. minas, quod alii minus uocant; apud *Ioſephum* uero *L.* III. *Antiq. Iud. c.* 7. *p. m.* 83. minas habuit centum, quod adhuc maiorem dicta ſummam effecerit.

Quamobrem agmen horum claudit, ſi reliquis addatur, ſumma omnium maxima, *myrias*, quae quidem per ſe ſaltim numerum definit, et in nummorum tamen recenſione uſitato adhibetur. Occurrit haec et *Actor.* XVIIII, 19. ubi, qui curioſas artes exercuerant, librorum exuſtorum ſupputata pretia repererunt *ἀργυρίου μυριάδας πέντε*, *denariorum quinquaginta millia.*

Addito enim nomine materiae, ex qua, definiri haec ſolent, ut h. l. argenti. Conſtituunt ergo 50000. denarii ſex mille ducentos et quinquaginta imperiales, uel quinque mille coronatos argenteos, ducatones uocant, 2000. aureos ueteres.

Alias

Alias apud *Iosephum myrias* etiam de aureis accipitur. Falsi itaque sunt, qui summam illam, 50000. denariorum, nescio quo calculo, scribunt hodiernae monetae facere 15000. florenos Misnicos, quod neque errore typographi, si id ponamus, facile excusari potest.

III.

THOMAS BARTHOLINVS

de Morbis Biblicis Miscell. XVI.

pag. 41. *sqq.*

DE

PVERPERIO B. MARIAE.

Matth. I.

VIrgo uterum gestauit. Quod uero clausis uirginitatis claustris primo genitum suum in lucem ediderit capere non possunt, qui nihil nisi ordinarium in Seruatoris natiuitate, per rationem, concedunt. Aperuit quidem matricem CHRISTVS, quia uocatur primogenitus, scil. quia primus aperuit uuluam seu matricem *Exod.* XXXIIII, 19. *Num.* III, 12. sed modo plane diuino et singulari.

gulari. Omnia hic naturae consuetum cursum superant, conceptio sine uiro; natiuitatis illaesa uirginitate. Recte enim *Montacutius* Apparat. VIIII. ad orig. Eccles. §. 59. neque nouum illud in terris adeo nouum fuisse, si non per omnes natiuitatis et conceptionis partes illa natiuitas descendisset. *Suidas* certe refert membranam in B. Virgine ab obstetricibus inuentam fuisse, cum de eius uirginitate dubitaretur. Vt scrupulos amoueat *Ioannes Baptista Mantuanus* tr. de loc. concept. CHRISTI, fingit aliunde prodiisse, ex uirgine CHRISTVM quam naturali et communi uia, sed falsum illum esse, uiamque naturalem seruandam probauimus libro *de insolitis partus uiis* * cap 7. Vulua enim aperta dicitur *Luc.* II. et more aliarum puerperarum purgata est b. Virgo.

* *Hafniae*, CIƆIƆCLXIIII. in forma quaternaria excus.



IIII.

IO. IAC. BAIERVS

in animaduerʃ. Phyʃico-Medicis in quaedam loca Noui Foederis D. N. I. C. * *p. 3. ʃqq.*

DE

DONIS MAGORVM CHRISTO OBLATIS.

Ex Matth. II. *u.* 11.

NOn eſt praeſentis inſtituti, otioſam illam, quin et odioſam, de *Magorum* perſonis, dignitatibus, aliisque conditionibus, controuerſiam uentilare, praeſertim quia eandem nimis diligenter expenderunt alii; quos inter neminem ego noui aequiorem arbitrum, b. DAN. GVIL. MOLLERO, collega quondam et compatre meo, etiam poſt fata colendo; cuius concinna et erudita ſane *Magorum* CHRISTVM *adorantium hiſtoria*, quae prodiit Altorphii A. C. CIƆIƆCLXXXVIII. utique meretur, ut noua editione inſeruiret com-

* Prod. Altorphii Norimbergenſium A. R. S. CIƆIƆCCXXXVI. 4.

compluribus philologiae ſtudioſis. Interea mihi, uariorum auctorum ſcripta peruoluenti, occurrit DIODORVS ille SICVLVS, qui proximis ante C. N. annis uixiſſe fertur, et in ſua *Bibliotheca Hiſtorica Lib* III. *cap* 47. pronunciat, *eam fuiſſe conſuetudinem Regum apud Sabaeos, ut nunquam illis e regia ſua exire licuerit; quod ſi enim contra egiſſent, plebs eos, auctoritate ueteris Oraculi, coniectu lapidem obruiſſet.* Hoc teſtimonium, ſi quidem fidem haberet, multum obſtaret uulgari commento, *quod Reges Sabae re uera fuerint iſti Magi*, qui, ut adorarent CHRISTVM ab oriente uenerant. Fortaſſe fuerunt ex ea natione *Magorum* et incolis Perſiae, quos STRABO *Lib.* XV. *p. m.* 690. teſtatur *ſectatos eſſe honeſtum quoddam uiuendi genus* (οὗτοι μὲν οὖν σεμνοῦ τινὸς εἰσὶ βίου ζηλωταί.) quem locum ſane notabilem, neſcio an aliqui interpretum S. Codicis recte attenderint? Verum ego id in medio poſitum relinquam, et ab iilis, quicunque demum fuerint, procul dubio tamen grauibus, ſapientibus, religioſisque uiris oblata CHRISTO *infanti dona*, tantiſper conſideranda me recipiam.

Aurum probabiliter ex *Arabia* petitum fuit; utpote uaticinio *Pſalmi* LXXII, 15. expreſſis uerbis indicatum. Id uero quam

praeſtans fuerit, ἄπυρον nempe, et quod inter eruendum ſtatim *purum putum* inueniatur, *colore flammeo*, narrat citatus modo DIODORVS *Lib.* II. *cap.* 50. eodemque Arabiam abundare ſcribit *Lib.* III. *cap.* 45. *Lib.* XVI. p. m. 737. Conſimilia propemodum ex ARTEMIDORO commemorat STRABO Lib. XVI. p. m. 737: *Apud eos* (Arabes) *aurum effoditur*, *non ſtrigiles* (in ramentis) *ſed glebulae quaedam*, *quae non multa purgatione indigent*, *magnitudine minima ſanſae* (nuclei oliuae) *mediam meſpili*, *maxima nucis*; *quas perforantes*, *cum lapillis pellucidis alternis poſitis armillas faciunt*, *inſerto filo*, *et collo manibusque circumponunt*. *Vendunt id aurum uicinis uili pretio*, *etc.* Credibile igitur eſt, *aurum nondum cuſum* ab iſtis *Magis* oblatum fuiſſe; quandoquidem *Euangeliſta* ſimpliciter χρυσὸν appellat. Qui hodie occurrunt aurei nummi, *ducati* uulgo dicti, litteris Arabicis ſiue Turcicis inſcripti, cum ſaepe pallidiores appareant, popularem praebent opinionem, quaſi ignobilius ſit *aurum Arabicum*; tametſi ex hoc genuino conflatos eſſe nummos illos neutiquam conſtet, Turcarum uero notiſſimis in adulterando metallo fraudibus, et hinc argento liberalius indito, pallor iſte debeatur.

Ὁ λίβα-

Ὁ λίβανος Graecum uocabulum a λείβω i. e. *fundo*, *ſtillo*, deriuatum, abſurde in Latinum conuertitur, et cum *articulo praepoſitiuo* ſimul pronunciatur, abſurdius adhuc in neutro genere *Olibanum*; quod ſpecimen eſt ruditatis Grammaticae in re Pharmaceutica. *Thus* autem, Latinis optimis quibusque uſitatum nomen, a Graeco θύω, i. e. *odorem facio*, *ſacrifico*, SCALIGER, aliique auctores ductum haut perperam exiſtimant. Praeſtantiſſimum eſſe *Arabicum*, ueteres cuncti ſcriptores affirmant, quin et PLINIVS *Lib.* XII. *cap.* 14. *praeter Arabiam*, *Thura nullis regionibus*, *ac ne Arabiae quidem uniuerſae*, arbitratur eſſe: *Indicum* tamen quoque commendat DIOSCORIDES *Lib.* I. *cap.* 82. Circa figuram *arboris thuriferae* tantus eſt auctorum diſſenſus, ut uix appareat, cuinam prae ceteris adhibenda ſit fides, praeſertim cum nemo eorum ſuis oculis ſe uidiſſe talem arborem perhibeat; omnes autem alienis nitantur teſtimoniis. THEOPHRASTVS, poſteaquam *Hiſt. Plant. Lib.* VIIII. *cap.* 4. alios pyri, alios lauri, alios denique lentiſci foliis ſimilia *thuriferae arbori* attribuiſſe ſcribit, ipſe tandem in dubio relinquit omnia, tametſi ad illam inclinare ſententiam uideatur, quod ſimilia laurinis ſint iſta folia. Hoc ſi

 uel

uel maxime credatur, incertum nihilominus manet, qualemnam ista arbor characterem, ratione floris atque fructus habeat? Ex *arborum coniferarum* familia esse, quodam modo arguit *analogia resinae pinastri uulgaris*, quam propterea ruricolae Wald-Weyrauch siue Wald-Rauch, appellant, qualis praestantior e *formicarum aceruis* colligi solet. Sicut autem uero simile mihi est, quod formicae naturali quodam instinctu resinam istam in aceruos suos comportent, reliquae quisquiliarum molis a ueloci corruptione defendendae caussa, sic suauiorem, quam ista resina hocce casu adipiscitur odorem, ab exhalationibus acidis uolatilibus formicarum, iugiter discurrentium, proficisci persuasum habeo. Et bene profecto mihi succurrit, quod Armenus quidam mercator olim pro certissimo asseuerauerit b. D. LOCHNERO, *Caesar. et Reip. Norimb. Archiatro*, quod ipsum *thus Arabicum* uix aliunde, quam *e formicarum cumulis* colligatur; esse autem illas praegrandes, pallidioris coloris; cum aliae obscurioris coloris, *myrrham* pariter in suos aceruos congerant, inde itidem ab hominibus auferendum. Ego hanc narrationem obsigno trita loquendi formula: *Sit fides penes auctorem!*

Cete-

Ceterum *Myrrham* Aeolicum esse uocabulum, a *μύρω*, *fluo*, complures philologi statuunt; commune autem Graecorum Σμύρνα est. De *arbore*, succum hunc fundente, nec quicquam magis certi constat, quam de *thurifera*, cum qua illam in Arabia mixtim crescere auctores quidam asserunt, alii separatis etiam locis; uti sane *Troglotidicam myrrham* DIOSCORIDES et PLINIVS anteferunt reliquae: est autem *Troglotidis* non Arabiae, sed *Aethiopiae*, aut saltem huic propinqua regio. In hoc fere consentiunt auctores, *arborem esse spinosam*, quam ulmi folio, et *thuriferae humiliorem* perhibet THEOPHRASTVS. Quod BOLA dicatur, solus (quantum hactenus noui) PAVLLVS HERMANNVS *Cynosur. Mater. Medic. p. m.* 279. notauit. Imaginem utriusque arboris, tam *thus* quam *myrrham* proferentis, aere expressam repraesentauit PETRVS POMETVS *Hist. des Drogues p. m.* 252. et 269. ueruntamen, uti apparet, ex ingenio saltem suo confictam. De ipsa nostrate *myrrha* quam hodie habemus, non immerito dubitant multi graues uiri, num eadem sit ueterum? Certe horum descriptiones non usquequaque conueniunt nostrati *myrrhae*; nec tot differentiae in hac reperiri possunt, quot et quantas circa suam

notarunt ueteres, inprimis DIOSCORIDES: Hic tamen, quando inter notas optimae *myrrhae*, et ad delectum eius refert, *ut sit squalore obsita, leuis, undique concolor, quae confracta uenas, unguium modo candidas, et laeues ostendat, minutis glebis, amara, acris, odorata, calefaciens*, pleraque sic in nostra etiam *myrrha* Selectiori deprehendenda eloquitur. *Stacte* autem, tantopere olim celebrata, et in S. *Litteris* T. V. commemorata quoque, nobilissimum *myrrhae* specimen liquidum, nobis hodie penitus deesse uidetur.

Quod ista dona CHRISTO, tanquam nouo Regi oblata sint a *Magis*, dubitare uix licet. Idem de *thure* seorsim, ut credam, persuadet HERODOTVS *Lib.* III. *p. m.* 228. qui *Arabes mille quotannis talenta thuris pro dono attulisse*, scribit, *Dario Persarum Regi, praeter annuum tributum.* An uero *thuris* oblatione *ad diuinitatem* CHRISTI simul respexerint *Magi*, non ausim dicere, nec decernere, quo animo aut fine myrrham obtulerint. De Sabaeis PLINIVS: *Non dant ex myrrha portiones* DEO, *quoniam et apud alios nascitur: Regi tamen Gebanitarum quartas partes eius pendunt.* Ceterum lubens ueneror pias meditationes et coniectu-

ras *S. Ecclesiae Patrum*. AVGVSTINI, HILARII, FVLGENTII etc. *circa mysticam donorum istorum significationem* summatim a PRVDENTIO his uersiculis declaratam:

Regem DEVMque annunciant
thesaurus, et fragrans odor
thuris Sabaei; ac myrrheus
puluis sepulcrum praedocet.

Medicum uero mysterium, atque *excellens uitae in longum conseruandae praesidium*, per eadem dona, coniunctim sumta designari, quemadmodum MARSILIO FICINO *Lib.* I. *de uita*, cap. 20. praeeunte, opinatus est EVSEB. NIEREMBERGIVS *in homiliis*, ut mihi persuadeam, caussae nihil uideo. Quamuis enim et *myrrhae* et *thuri* sua multiplices in medendo uirtutes constent, etiam non praeparatis; de *auro* tamen, nisi chimico artificio (ad quos *Magos* illos quidem respexisse non est credibile) praeparetur, nugatoria foret assertio, si uel maxime simul cum thure et myrrha, ad eius compagem firmissimam recludendam nihil ualentibus, exhibeatur.



V.

IO. IAC. BAIERVS

in animaduerſ. Phyſico-Medicis in quaedam loca Noui Foederis D. N. IESV CHRISTI p. 7. ſqq.

DE

VESTITV ET ALIMENTO S. IOANNIS BAPTISTAE.

Matth. III, 4. *Marc.* I, 6.

IN hisce locis, philologice explicandis, adeo copioſus et accuratus fuit M. PAVLLVS RAABE, in Acad. Regiomont. Graec. Lingu. Profeſſor, ut in duabus diſtinctis Diſſertationibus Regiomonti habitis A. CIↃIↃCLXXXVIIII. nihil reliqui feciſſe uideatur. Nobis, qui medica potiſſimum et phyſica tractare inſtituimus, hoc ſaltem liceat inſinuare, *quod iſtae tam ueſtium, quam ciborum ſpecies* S. IOANNIS, *tametſi aſperum durumque uiuendi genus, et mollitiei neglectum indicent, non admodum aduerſantes extiterit bonae ualetudini.*

Ac

Ac *ueſtimentum* quidem *e pilis camelorum*, panno ſcilicet inde texto paratum, ſine dubio ſpiſſum atque denſum, contra iniurias aeris et pluuiarum inſeruire potuit homini in eremo uiuenti, praeſertim zona pellicea circa lumbos colligatum, ne incommode diſcederet. Rigidiores autem natura eſſe *camelorum pilos*, textumque neutiquam molle, ſed aſperum praebere, ſatis exploratum habetur; quicquid etiam in contrarium AELIANVS *Lib.* XVII. *cap.* 34. perhibet *de camelis Caſpiis, quorum uilli adeo ſint molles, ut cum Mileſiis lanis mollitudine comparari poſſint, ex iisdem ſacerdotes, et Caſponum ditiſſimi et praecipui ueſtimenta conficiant.* Aliter comparatum fuiſſe illud S. IOANNIS BAPTISTAE, uel ſolo CHRISTI elogio *Matth.* XI, 8. patet, quando negat, eum eſſe *hominem mollibus amictum ueſtibus.* Vtrum uero *Cilicii monachalis* formam habuerit, an aliam? non curo; ſed derideo tantum ineptias pictorum quorundam, *pelle camelina, inſtar Fauni inuolutum Baptiſtam* fingentium, contra claram S. Scripturae litteram: conf. TH. BROVVN. *Pſeudodox. epidem. Lib.* V. *cap.* 15. Originem fortaſſe duxit commentum illud ab *imagine*, quam *marmor* naturaliter pictum *quoddam in aede S. Sophiae, Conſtantinopoli*, re-

D 5 prae-

praesentare, CARDANVS memorat *Lib.* VII. *de Subtil. p. m.* 268. IO. BAPTISTAE scilicet, *Cameli tergore tecti, quae imago absolutissima fertur in omnibus, praeterquam quod alterum ex pedibus, non adeo, ut pictura potest, exprimat.* Veruntamen hic alterutrius pedis defectus, ab historia *Baptistae* magis abludit, quam si capite truncatus comparuisset, qualem *Herodiadis* nequitia redditum tandem legimus.

Ad *cibum* uero S. IOANNIS quod attinet, miror sane, cur tot tamque accurati alias interpretes communem luculentamque lectionem *S. Codicis* negligant, et pro ἀκρίδες legendum esse putent καρίδες, quae sunt *cancri generis animalcula*, *squillae* dicta, aut ἀκρόδρυα, quae *arborum fructus* quosdam, aut *tenerrimas frondes* designant. Certe ἀκρίδες, in optimis quibusque exemplaribus Graecis legendo uocabulo, proprie et quasi unice *locustas* significant, *animalcula insecta*, notissimi quidem generis, sed diuersarum specierum. Aliquas ex his, a nostratibus quidem non magnitudine solum, sed et figura multum discrepantes, in Asiae et Africae quibusdam regionibus obuias, incolis earum *esu familiares*, et olim fuisse, et hodie adhuc esse, si quis nesciat, aut non agnoscat, parum

legisse

legiſſe uidetur auctores geographos et hodoeporica. Quid? quod memorabilem illum locum *Leuit.* XI, 21. *et* 22. de permiſſis populo Iudaico, *quatuor ſpeciebus animalium* ἐξωπίδων, *Arbe, Solam, Chargol*, et *Chagab* ad locuſtarum genus pertinere, nec de alio intelligi poſſe, SAM. BOCHARTVS in *Hierozoico Lib.* IIII. *cap.* 1. declarat, et amplius comprobat IOBVS LVDOLFVS *Hiſtor. Aethiop. et ſeorſim append.* II, qui inſuper illas etiam uolucres, ad paſcendos Iſraelitas miraculoſe accumulatas, pro *coturnicibus* communiter putatas, itidem *locuſtas* fuiſſe, argumentis haut parum ſpecioſis euincere contendit, meo quidem iudicio magis plauſibilius, quam ea ſunt, quae OLAVS RVDBECKIVS iunior *Ichthyol. Bibl. Part. I. Vpſal.* 1705. *edita*, protulit, ad ſuam certe paradoxam opinionem confirmandam, quod *piſces uolatiles* fuerint *ſelauae* iſtae. Verum ego coniecturas illas, auctoribus ſuis defendendas, et aliis, aut amplectendas aut repudiandas relinquo. De eſca S. IOANNIS ſaltem urgeo iterum τῶν ἀκρίδων, luculentam appellationem, quae alienum a *locuſtis* ſignificatum uix admittit, et cum ueſcentis inſtituto uitae aſpero aut frugali ſane, tum etiam regionis, quam incolebat, conditione plurimum conuenit.

uenit. Laudatus antea LVDOLFVS, adducto Iudaei Hierosolymitani testimonio, confirmat, quod suo adhuc tempore homines plebeii tam Turcae, quam Iudaei, consueuerint edere locustas in aqua coctas. Subiungo HENR. A POSER, Equitis Silesii, dignam fide narrationem Tage-Buch seiner Reise, *Litt. S.* 2.: Es begegneten uns drey Heere Heuschrecken, in einer solchen Menge, dergleichen gesehen zu haben, sich Niemand erinnerte. Man verkauffet sie zu Gumeron, als eine (NB.) den Juden und Persern gewöhnliche Speise. Renouat mihi haec narratio memoriam stupendae illius, ac prorsus innumerabilis *peregrinarum locustarum* multitudinis, quae anno saeculi superioris LXXXXIII. mense Augusto, turmatim adueniens, meam quoque patriam, Ienam ita inuasit, ut rei antea nunquam uisae, nec in annalibus commemoratae aspectu plerique incolarum conturbarentur. Memini uero etiam, quod non modo porci et feles domesticae *locustas* illas in saginam auide receperint, sed et homines audaciores quidam coctas degustauerint, quod et ipsemet tentaui, haud aduerso sapore deprehenso, per coctionem rubedine tinctis quodammodo *locustis*, sicut astaci fere solent. Veterum auctorum loca

de

de ἀκριδοφάγοις, Africae nimirum incolis, *a quotidiano esu locustarum nuncupatis*, lubens praetereo, neque commemoro, quod illi tradunt de miseranda horum hominum conditione, quo modo uictus illius culpa ante senectutem *morte uerminosa* deleantur. Etenim haud improbabile est, ab insectorum eius generis, praesertim male praeparatorum esca continua, singularem sensim putredinem induci; aduersus quam tamen non parum ualere posset *mel* assumtum.

Iam uero in conuictu *S. Ioannis*, iuxta cum *locustis* μέλι ἄγριον adhibitum *S. Litterae* produnt; quali abundasse Palaestinam e tot earundem locis manifestum est; quando ipsa toties celebratur *terra lacte et melle affluens*. Erat igitur *mel* etiam in deserto facile parabile, ut omnis adeo *Baptistae* uictus, aqua Iordani pro potu forsitan accedente extiterit uilissimus. Ceterum, nec sine prouidentia istam alimentorum coniunctionem accidisse arbitror: *mel* enim et aquae frigiditatem, et *locustarum* cruditatem, atque ad putrescendum procliuitatem corrigere potuit, ne, corpore morboso reddito, asperam ceteroquin suam uictitandi rationem in opprobrium adduceret, aut ineptus hinc euaderet ad munus obeundum *Vir Diuinus*, non morbo, sed

sangui-

ſanguine, ueritatis cauſſa profuſo periturus *Martyr.* Ad corroborandam ſententiam iſtam meam plurimum facit *balſamica mellis*, ab apibus etiam ſilueſtribus, ſiue in arboribus carie exeſis, ſiue in ſaxorum rimis elaborati, *natura*, uulgo quoque notiſſima, et ſeorſim *uirtus anthelminthica*; quandoquidem obſeruauit FRANC. REDI *Obſeruat. de animal. in corp. uiu. p. m.* 165. et contra popularem opinionem experimento probauit, *quod lumbrici, ſeu uermes inteſtinorum, in nullo liquore citius intereant, quam in melle, aqua diluto.* Ceterum de *melle* (quatenus in S. litteris mentio eius fit) prolixe commentatus eſt GVIL. STVCKIVS, *Antiquit. Conuiual. fol.* 56. et 62. et ſingula loca curioſe examinauit; idem quoque de *locuſtis* erudite diſſeruit, ac eandem comprobauit ſententiam; *quod uera inſectorum ſpecies fuerint locuſtae illae, quas comedit S. Ioannes.*



VI.

IO. IAC. BAIERVS

in animaduerſ. Phyſico-Medicis in quaedam loca Noui Foederis D. N. IESV CHRISTI, p. 11. ſqq.

DE IEIVNIO ET FAME D. N. IESV CHRISTI.

Matth. IIII, 2. *Luc.* IIII, 2.

VErbum νηστεύειν, proprie ſtrictimque ſumtum denotat *omnimodam ab alimentis ad aliquod tempus abſtinentiam*; interdum uero accipitur etiam pro *parciſſimo cibatu*; ſeorſim in Eccleſia Graeca et Romana pro *abſtinentia ab eſu carnium. S. Saluatoris noſtri ieiunium* primae ſignificationis ſine dubio fuit: illud autem ſolius humanae naturae uiribus ipſum per XXXX. dies et noctes ſuſtinuiſſe, nemo niſi profanus et impius affirmauerit. Analoga propemodum leguntur *Moſis* et *Eliae ieiunia*, manifeſtis in hiſtoria Sacra circumſtantiis prodentibus, Diuina et ſuper naturam uirtute, per idem ſpatium temporis

poris eadem fuiſſe tolerata. Cum interim multi uariique caſus hominum paſſim commemorentur, *qui non modo quadraginta, ſed plurium dierum ac menſium inediam perpeſſi ſint*, quaeſtio hinc oritur, *utrum quis ſalua, ſi non ſanitate, attamen uita ſua, naturalibus ex cauſſis ſuſtinere queat tam diuturnum ieiunium?* Equidem HIPPOCRATES *Lib. de aetate text.* V. *eos, qui in ſeptem diebus nihil edere aut bibere uelint, plerosque in hiſce mori* contendit; *ſi qui uero tempus illud excedant, nihil ominus mori.* Neque tamen anguſtis adeo *ſeptem dierum* limitibus circumſcribendam eſſe rem illam exiſtimo, cum forte quidam paullo ultra incolumes tolerauerint *abſtinentiam a cibo et potu.* Aſt uero de iſtis portentoſis *unius aut plurium menſium, nedum annorum* ieiuniis, cuiusmodi in hiſtoriarum monumentis notantur, parum abeſt, quin cum GEORGIO HIERONYMO VELSCHIO *in Epiſtol. Med.* BARTHOLIN. *Cent.* IIII. *pag.* 536. perſuadear, *ad unum omnia omnino ficta et ementita fuiſſe*, quod ſane uir ille grauiſſimus de praecipuis et fama maxime celebratis caſibus ſolide monſtrauit; certiora ſunt in contrarium exempla, *infeliciter nimirum tentati per κακοζηλίαν, ieiunii quadrageſimalis*; quale fuit illud *Doctoris cuiusdam*

Salis-

Salisburienſis in Anglia, quem OL. BORRICHIVS *Ephemer. Acad. N. C. Dec.* I. *Ann.* III. *pag.* 48. refert, *infortunato conatu ſuccubuiſſe decimo ſeptimo abſtinentiae die.* Proximus metam contigit, ac tantum non perfecte aſſecutus eſt *uir generoſae proſapiae Megapolitanus*, GVSTAVVS A BERNHART, qui anno huius ſaeculi XVIIII. in Holſatia, inſtinctum afflatumque, neſcio quem, diuinum cauſſatus, *ieiunium*, ſine fuco *per quadraginta dies* ſuſtinuit quidem, aſt cumprimum eo peracto, alimentum aſſumeret, peſſime ſe habens, languente ex corpore, efflauit animam. Extat in hanc hiſtoriam erudita *diſſertatio*, praeſide celeberrimo uiro D. GEORGIO DETHARDINGIO, habita Roſtochii, A. CIƆIƆCCXXI. auctore reſpondente AVGVST. PVCHNERO. Inde uero uix quicquam colligitur ad demonſtrandam poſſibilitatem imitandi *ieiunium CHRISTI*, quod ex euentu inprimis elucet. Poſteaquam enim ὁ θεάνθρωπος illud in deſerto, inter aſſiduas ſatanae tentationes ſuperauit, primum quidem *naturali fame* (per τὸ ἐπείνασε luculenter indicata) laborare, tanquam uerus homo coepit, mox uero eadem ſoluta, *integris uiribus* ad laborioſum ſuum rediit officium, nullo in *Sacris Litteris* commemorato languoris, ab inedia perpeſſa

 ueſti-

ueſtigio; quale quidem, ſecundum aut praeter naturam longius ab alimento abſtinentibus ineuitabile eſt, docente idem antea dicto BERNHARTO, cuius uenter, necdum, finito ieiunio, ualde collapſus et ueluti euiſceratus apparuit. Atqui hoc eſt, quod HIPPOCRATES l. c. aſſeuerauit, *quosdam perſuaſos, ne ſe ipſos fame conficerent, ſi in animum inducant, comedere et bibere, uenter tamen non amplius ſuſcipiat, cum ieiunium* (inteſtinum) *in hiſce diebus* (ieiunii) *concreuerit et ipſi moriantur.*



VII.

VII.

IO. IAC. BAIERVS

in animaduerſ. Phyſico-Medicis in quaedam loca Noui Foederis D. N. IESV CHRISTI pag. 13. ſqq.

DE

THERAPIA CHRISTI IN GENERE.

Matth. IIII, 23. *item* VIII, 16. *Marc.* I, 32. *Luc.* VIIII, 11.

QVi humanam naturam aſſumſit *aeternus DEI filius*, ut ſtatim ab initio ſui muneris ſanctiſſimi comprobaret, ſe ueniſſe *plenum gratiae et ueritatis*, neutiquam dedignatus eſt *pretioſum Medici nomen et officium*, *in ſanandis corporum*, *quoque infirmitatibus*, θεραπεύων πᾶσαν νόσον καὶ πᾶσαν μαλακίαν ἐν τῷ λαῷ. Hiſce uerbis, tametſi abſoluta et immenſa CHRISTI poteſtas in medendo clare indicetur, ſimul tamen ſignificatur, quod inter complures, humana ope inſanabiles morbos curauerit eos, etiam, qui

alias arte medica ſanari forte potuiſſent. Cum enim non omnes κακῶς ἔχοντες (uti Euangeliſtae loquuntur) ſint prorſus inſanabiles, CHRISTVS autem omnes ſibi oblatos, καὶ τοὺς χρείαν ἔχοντες θεραπείας, ſanauit, liquido apparet, *quod neque ſanabiles hominum morbi ab ipſo fuerint neglecti.* Nihilo minus cunctas morborum curationes a CHRISTO peractas, ſupra naturae uires eueniſſe certum eſt, quemadmodum et ERASMVS τὸ θεραπεύειν, in *Euangelio* ſemper improprie accipi ſtatuit pro eo, quod eſt *miraculoſe ſanare.* Quodſi iam caſus curatorum a CHRISTO morborum, ſingulatim commemorati expendantur, facile patebit, cum plerisque ita comparatum eſſe, ut humanis uiribus neutiquam depelli potuerint, ad unum omnes autem ab *Omnipotenti Medico* ſic fuerint tractati, ut ubique *DEI uirtus, DEI ſapientia* eluceat. Etenim non modo protinus cognouit laborantium afflictiones ac deſideria, ſed et ſolo uerbo, abſens ſaepe ad ſpeciem, aliquando contactu ſuſtulit, aegritudines cuiuscunque conditionis. ASCLEPIADES *officium Medici eſſe*, dixit, *ut tuto, ut celeriter, ut iucunde curet: id uotum eſſe*, cum ſuſpirio quaſi CELSVS *Lib.* III. *cap.* 4. exclamat: *cum fere periculoſa eſſe nimia et feſtina-*

eſtinatio et uoluptas ſoleat, et hinc modera-
ione utendum ſit, ut, quantum fieri poteſt,
mnia iſta contingant, prima ſemper habita
ſalute. SALVATORI noſtro id non tam
notum erat, ſed factu facillimum, ut tuto,
celeriter, et iucunde curaret; nulla opus
habuit moderatione, ut iſta omnia contin-
gerent, prima habita ſemper hominum ſa-
ute. O igitur incomparabile perfectumque
Medici et ſanitatis Magiſtri exemplar, quod
nos miſeri homunciones, cum per infirmi-
tatem noſtram haud imitari ipſo opere, ne
dum aſſequi ualeamus, ita tamen in oculis
iugiter feramus, ut pia promtaque erga cu-
randos uoluntate et miſericordia, perſequa-
mur ueſtigia Ἰοῦ Ἀρχιάτρου Sanctiſſimi,
ſub aſſidua Numinis ac praeſidii
ipſius imploratione!



VIII.

ANDREAS OTTOMARVS GOELICKE

in Histor. Medic. Vniuersal. period. prim. §. XXI. pag. 75. sqq.

DE CHRISTO VERO CORPORIS MEDICO.

IN tanta reipublicae, (*Iudaicae*) morum, studiorumque corruptione, magno certe restauratore opus erat, qui fuit MESSIAS, Saluator mundi, Patribus promissus, in plenitudine uero temporis, demum in carne manifestatus. Huius praecipuum, quod in hoc mundo exsequebatur, munus in eo potissimum consistebat, ut reiectis Iudaeorum fabulosis dogmatibus, immo erroribus, traditionibus et additamentis Patrum, ueram denuo sapientiam reuocaret, hominibus regiam ad ueram felicitatem animaeque tranquillitatem perueniendi uiam ostenderet, ac benefaciendo inprimis salutemque tam animae quam corporis promouendo, de uniuerso humano genere bene mereretur. Hanc ob caussam totam

totam Iudaeam, finitimasque regiones perambulauit, ut aegrotantes obuios, uel aliunde ad se deportatos, sanaret, et ab aegritudinibus suis liberaret. Qua proinde in re tanquam uerum (*) CORPORIS MEDICVM sese

 exhi-

(*) *Nemini forte offendiculo erit, uel grauius propterea nobis quispiam succensebit, quod IESVM CHRISTVM*, Saluatorem mundi, Medicum *appellitem, uel in medicorum seriem eundem referam: non enim hoc factum fuit sine exemplo; scripsit namque* de Morbis Biblicis et Paralyticis N. T. BARTHOLINVS; de Morbis Euangelicis ADERVS, *et* IOHRENIVS senior, de CHRISTO MEDICO, respondente D. SCHVLZIO, *dissertationem habuit inauguralem, in qua demonstrare potissimum annisus est, CHRISTVM tanquam* Medicum *duplici remediorum genere fuisse usum, scil. uel* naturalibus, *uel* praeternaturalibus. *Ad* priorem *classem refert: I.* Tactum *seu* impositionem manuum. *II.* Saliuam, *ac III.* uerba. *Sanationem morborum per* tactum *explicare conatur partim per* uim effluuiorum e corpore *CHRISTI* emanantium, *quod testatur femina haemorrhousa, partim per* fiduciam aegris implantatam: *ut proinde corpora aegrotantium uim effluuiorum, e corpore CHRISTI exhalantium,*

exhibuit, et idcirco hunc sibi tribui titulum eo
minus

tium, magnetis ac ferri instar reciperent; sicque, alteratio illa, tam fluidorum in mixtione et temperie, quam solidorum, in figura, situ, poris, etc. *subjecuta fuerit. In cuius rei confirmationem, inprimis adduci meretur, mirabilis illa curatio strumosorum, quae singulari ceremonia quotannis instituitur a Galliarum Rege per solum manuum contactum. Deinde exhibet catalogum morborum a* CHRISTO *sanatorum, quorsum* (α) *refert* paralysin, *quem affectum* b. LVTHERVS *ubique uertit* Gichtbrüchig. MATTH. VIIII, 6. *et* LVC. VII. *et ad contracturam uel paralysin, quam nonnulli uocant* scorbuticam, *magis uidetur respexisse.* Confer. MATTH. VIIII, 2. - - 7. LVC. V, 18 -- 25. IOAN. V, 5 -- 9. *Et hunc ultimum fuisse paralyticum, probat multis rationibus* BARTHOLINVS. (β) Varia obsessionum genera, *quorsum etiam pertinet* epilepsia, *quem tamen affectum, alii potius* somnambulationem *dicendam esse mordicus efflagitant: unde etiam* b. LVTHERVS *uocabulum* σεληνιάζεται, *uertit*, lunaticus est: er ist monsüchtig, *i. e. patitur a luna: ueteribus enim medicis persuasum fuit, ab effluuiis et fermentis lunaribus, hunc morbum maxima capere incrementa, et ad eius quoque conuersiones paroxysmum suas seruare periodos,*
sigilla-

minus indignabitur, quod DEVS ipse titulo

sigillatim circa nouilunium, ut hinc etiam medicamenta epilepsiae opponenda, maxime in certis tantum lunae phasibus exhibenda esse suadeant medici: Vid. MATTH. XVII, 14 -- 18. *Item* CAP. VI. MATTH. *uers.* 24. *mentio fit talis* lunatici, *qui pariter in textu Graeco σεληνιαζόμενος appellatur: ubi tamen notari meretur, mentionem quoque iniici alterius hominis infelicis, qui expresse a* MATTHAEO *nominatur δαιμονιζόμενος*, daemoniacus: *non, quod tales obsessi, a malo daemonio actu inhabitentur; sed, quod scriptores sacri ex uulgari gentis opinione loquantur: siquidem, ea aetate, omnes grauiores morbi, praesertim cum uaria distorsione membrorum et mentis turbatione, uel alienatione coniuncti, daemoni adscribebantur.* Vid. LIGHTFOOT. Hor. Talmud. ad hunc locum. *Similiter* VVILLISIVS *Cap. II.* de morbis conuulsiuis *refert: Theologum quendam Anglum non infimi subsellii, plerosque daemoniacos Euangelistarum habere tantum* pro epilepticis. *Nonnulli uolunt, distinctos hic intelligendos esse affectus: uix uero dubium est,* epilepticos *fuisse, quos* σεληνιαζομένους *uocat* MATTHAEVS, *quod ex stridore dentium, collectione copiosa spumae circa os, conuulsione per totum corpus et angu-*

stia

hoc delectatus esse uideatur, dum dicit: (EXOD.

---

stia pectoris aliisque phaenomenis manifestum est. Vid. MARC. VIIII, 20. Τὸ πνεῦμα ἐσπάραξεν αὐτὸν· καὶ πεσὼν ἐπὶ τῆς γῆς ἐκυλίετο ἀφρίζων. *In eadem sententia est* BARTHOLINVS *de* Morbis Biblicis p. m. 81. *Patet insuper ex consectariis, quae hunc morbum secuta sunt, scil. surditate et* ἀφωνίᾳ: *qui enim surdi nascuntur, plerumque etiam sunt muti, sicuti etiam Sacer textus haec duo uitia ordinario coniungit.* Vid. MARC. VIIII, 25. (γ) *Huc pertinet caecitas a natiuitate.* Vid. IOAN. VIIII. 1 -- 7. *Eoque mirabilior est huius affectus curatio, quo magis ab omni sana ratione remota uidentur remedia, quibus* CHRISTVS *usus est:* saliuam *enim suam iniecit in puluerem, indeque confecit unguentum, quo oculi inuncti, ac postmodum aqua ex piscina Siloah loti, uisum restituerunt. Alii uolunt,* collyrium *inde factum; sed ex puluere et saliua non facile parari potest collyrium, uerum potius massa quaedam unguento similis.* Πήλος *enim, quo uocabulo Euangelista utitur,* lutum *significat. Alterum exemplum caeci, sputo seu saliua curati, occurrit* MARC. VIII, 22 -- 28. *ubi notari merentur uerba:* Καὶ

(EXOD. XV. u. 26.) EGO DOMINVS MEDICVS TVVS.

VIIII.

Καὶ πτύσας εἰς τὰ ὄμματα αὐτοῦ ἐπιθεὶς τὰς χεῖρας αὐτοῦ. *Vbi tamen dubium manet, an saliuam cum ui in oculos proiecerit, an uero linimenti instar blande illiniuerit.* (δ) *Huc pertinet restitutio surdi ac muti, qui sacro Scriptori* κωφὸς μογιλάλος *uocatur, quem pariter impositione digitorum in auriculas et immissione sputi in linguam sanauit.* Vid. MARC. VIII, 32 -- 35. *Alii potius credunt,* CHRISTVM *saliuam suam prius in digitos exspuisse, deinde eadem, linguam inunxisse, sicque a uinculo, quo detinebatur, liberasse. Ceterum reliquorum a* CHRISTO *curatorum morborum classem prolixius prosecuti sunt auctores antea citati, quos euoluere licet, si libet.*



VIIII.

CONRADI IOHRENII
DISSERTATIO
DE
CHRISTO MEDICO.

L. B. S.

THema pertractaturus inaugurale, quo felix capere augurium cupio atque inaugurari uitam medicam, praesens elegi Medico-Philologicum. Existimaui sacris quoties deditus fui meditationibus, me rem facturum esse olim officio meo Christiano conuenientem et praesenti solennitate haud indignam. CHRISTI est Medicina, quam medice examinare constitui Medicinae cultor, post examen solenne. Nominaui ter suauissimum IESVM Medicum eodem nomine, quo olim hostes eius utebantur ex *Luc.* IIII, 23. saniori licet animo. Nomen est, quo DEVS T. O. M. iam olim delectabatur, dicens: *Exod.*

Disquisitio haec inauguralis, respondente M. GEORG. PETRO SCHVLZ, *Francof. March.* prodiit *Francofurti ad Viadrum*, A. S. R. CIↃIↃCCIII. in 4to.

Exod. XV. *u.* 26. אני יהוה רפאך׃ *Ego Dominus Medicus tuus.* Et uox eſt optimi Chirurgi noſtri *Ierem.* XXX, 17. אעלה ארכה לך וממכותיך ארפאך נאם-יהוה׃ *Afferam tibi ſanitatem et plagas tuas ſanabo, dicit Dominus.* Cetera ut taceam loca paſſim obuia e. g. *Hoſ.* VI, 1. XI, 3. *Pſalm.* CIII, 3. *Eſ.* LXI, 1. etc. *Omnia* enim *nobis CHRISTVS eſt*, inquit, AMBROSIVS, " ſi uulnus curare deſideras Medicus eſt: " Si febribus aeſtuas, fons eſt; Si auxilio " indiges, uirtus eſt: Si mortem times, " uita eſt: Si coelum deſideras, uia eſt: " Si tenebras fugis, lux eſt: Si cibum quaeris, " alimentum eſt. *Opp. Tom. 1. fol. m. 100. de* " *Virgin. L.* III. Ducendi hinc has lineas anſam praebuit Diuus Pater: Docuit BARTHOLINVS, piiſſimus Medicus atque in ſcriptis tum de *Morbis Biblicis* tum de *Paraliticis Nou. Teſt.* immortalis, huiusque praecurſor fuit ADERVS de *Morbis Euangelicis.* Conſtitueram equidem, quamprimum animum ad ſcribendum impuli, totum expedire negotium, ſed dum praeter ſpem prohibeor, ea qua decet integritate ſupplementum alii re-

ſeruo

ſeruo tempori. Deſunt Affectus abdominis Hydrops, Fluxus Muliebris nimius, Mulieris incuruatae morbus; Deficit Lepra et Febris ardens; item ex *Matth.* XVIIII, *u.* 12. *Marc.* VIIII *u.* 50. VII, *u.* 19. Generalia et ſi quae alia poſt haec loca ſuppeditabunt lectiones ſacrae. Immo quaedam circa Affectus Capitis, qui mei ſunt praepoſiti atque inſtituti, ſepoſita uidebis, lector. Trado interea Paralyſin, Epilepſiam, Surditatem, Caecitatem, atque Muti infelicitatem tuo examini expectaturus iudicium decorum atque candidum.

Da Pater augurium, atque animis illabere noſtris!

CAPVT I.

§. I.

CHRISTVS quae fuerit perſona, in Chriſtiano orbe undique dum innotuit, iure etiam abſtinemus lineis prolixioribus de ipſo; ſed ad alterum nos conuertimus uocabulum. Eſt uero Medicus, qui artem et ſcientiam habet integram corporis humani fabricam conſeruandi, et labefactatam conuenientibus alimentis et remediis reſtituendi. Sic deſcribitur a b. WALDSCMIDIO *in Inſtitut. Med.*

Rat.

Rat. pag. m. 6. quem quoad reſolutionem definitionis conſulere decet.

§. II.

CHRISTVM iam dum Medicum dicimus, nulla alia niſi haec intentio noſtra erit, ut uideamus docentes, quos affectus curare ipſe ſit agreſſus et quibus remediis tum naturalibus tum ſupranaturalibus. Et licet aduerſus nos eſſe uideatur, AMBROSIVS *Opp. T. III. fol. m. 185.* ſcribens: *Donauit Dominus ſanitatem, non medicinam exercuit.* Eos enim ſanauit Dominus IESVS, quos nemo curaret; Patri tamen optimo partim loca infinita, in quibus Medicum illum ipſe uocat, opponimus, partim dubitamus, omnesne morbi fuerint incurabiles, quod alias et *Mercuriali* placet.

§. III.

Remediorum naturalium et ſupranaturalium dum mentionem fecimus, triplicia potiſſimum reſpicimus remedia a CHRISTO perpetuo adhibita, *Tactum* ſcilicet ſeu *Impoſitionem manuum*, *Saliuam* et *Verba*. *Saliuam* quod attinet, de illius operatione agimus §. VIIII. *Verba* per ſe nihil operaſſe, ſed Virtutem tantum Diuinam omnipotentem, operan-

rantem per illa declaratam fuiſſe, credimus ex §. IIII. *Tactum et Impoſitionem manuum* naturaliter in CHRISTO haec etſi effecta producere potuiſſe firmiter perſuaſi ſumus, per principia ex doctrinis de perfectiſſimo CHRISTI corpore, de athmoſphaera atque effluuiis particularum per *ἄδηλον διαπνοὴν*, ſeu inſenſibilem transſpirationem, nec non de fiducia aegris implantata, et fide aegrorum praeexiſtente iam, quae corpora ſic diſpoſuiſſe uidetur, ut uirtutem e corpore CHRISTI effluentem inſtar magnetis et ferri reciperent, quo partium fluidarum in intemperie et mixtione alteratio, nec non partium ſolidarum quoad ſitum, poros, etc. uitioſa diſpoſitio corrigi ab illa potuerit atque reſtitui legitima: Quam et reſtitutionem frictio et fortis apprehenſio multum adiuuere absque dubio. Confirmantur haec noſtra placita eo magis, ſi uera, quae de tactu humano, ui medica pollente, paſſim legimus. Sic WILLISIVS *de Anatom. Cerebr. cap. XX. p. 104.* de quodam Anglo referri ſcribit, quod magno cum ſucceſſu omnis generis morbos ſolo tactu et frictione curarit. Euulgata eſt haec hiſtoria ad maiorem fidem apud poſteros obtinendam anno 1666. integro ſcripto Anglico, hiſtoriamque uid. apud PAVLINI *in Philoſoph.*

Feyer-

Feyerabend p. m. 561. seqq. Et de quodam scriba, memorat BORELLVS *Hist. et Obseru. Cent. II. LXXXX. p. 186.* quod innumeros sanitati restituerit, et inter eos febricantes quoque sola brachiorum frictione. Nostris principiis maxime conformia Cl. KOENIGII *in Regn. Animal. p. 24.* uerba quin addamus, hic non possumus non: Ita uero ille: Haec si uera sunt, " me iudice, poterunt, praeter imaginationis " robur, effluuiis exhalantibus attribui, topica " enim febrifuga carpis apposita, uti animalia, " amuleti loca appensa, febres tertianas alias- " que breui curarunt, dum horum miasmata " glandulas subcutaneas et sanguinem ingre- " diuntur, quo hic alterari, uolatilisari, robo- " rari, fermentum febrile praecipitari, lympha " uitiata acida corrigi, eiusque correctio per " totum corpus continuari possit. Immo hinc " etiam plura sagarum nocumenta tactu cor- " poribus inducta, mediis fieri naturalibus " probabile est, talia enim iis usurpari solita " fiunt ex narcoticis u. g. succo hyoscyam. " mandrag. opio, frondibus populi, pinguedi- " ne puerorum e sepulcris erutorum, farina " item e tritico, quae inter se mixta odorem " spirant narcoticum, spiritus inuiscantem, " inquinantem, peruertentem etc. " Quid si et ad hanc scenam ex parte referremus ta-

ctum Regium medicum de quo §. IIII. quaedam et delibauimus, iure meritoque interim abstinentes ab hac controuersia, quod sciamus, sat multas esse dissentientium lites, quas uid. ap. Auctores §. c. adductos et WILLIS. *de Anat. Cerebr.* l. c.

§. IIII.

Absit interim, ut quis (siue Orthodoxorum siue Heterodoxorum nomine ueniant) Theologorum nobis ex hac doctrina uel impietatem uel contemtum erga *Seruatorem* nostrum obiicere possit, ut potius summam adorationem Diuinae maiestatis atque pietatem in Principem salutis nostrae publice his profiteamur. Veneramur CHRISTVM Deum, ueneramur Medicum, uerum minime cum uulgo, sed cum iis, rationem qui reddunt fidei suae. Manet admiranda medicina CHRISTI, quam nemo mortalium exercere poterit, etsi principia philosophica in demonstranda operatione afferamus. Neque eleuamus miracula medica, sed potius ubi sunt magis admiramur ceu *Diuina*, maxime ubi uirtus per uerba declarata fuit, absens tanquam praesens efficax, et animae immaculatae purissimaeque domicilium perfectissimum eius atque sanctum ex his ipsis principiis accura-

accuratius demonſtrare poſſumus ad mentem PAVLI Hebr. Cap. VII. u. 26.

§. V.

Mentem iam noſtram dum propoſuimus, in nomine *Ter Sancti Medici Noſtri Optimi IESV*, ad Cap. II. tranſimus, ut caſus, qui in praxi CHRISTI occurrerunt circa affectus capitis in praeſenti, quantum per otia fieri potuit, medice conſideremus. Affectus uero a CHRISTO curati, ut et melius percipiantur, praemittemus ab initio ſtatim cuiuslibet affectus, naturam, cauſſas, ſicque tandem, ad medicam CHRISTI artem oculos conuertemus. Interim:

אקרא בשם אל לעזור אותי
כי הוא לבד שברי ומבטחי:

CAPVT II.

§. I.

PRogredimur nunc B. C. D. ad paralyſin, eiusque curationem a CHRISTO inſtitutam, more recepto, conſideramus. Eſt uero paralyſis ſenſus et motus uel ex toto, uel ex parte, in corpore abolitio, ob neruorum flacciditatem ſeu reſolutionem, ex obſtru-

ſtructione tabulorum eorundem maxime in medulla oblongata ſpirituum animalium fluxum ſufflaminante orta. Signa diagnoſtica ex definitione hac ſatis eluceſcunt. Sequiturque communiter apoplexiam, prout, ut ex domeſtica atque triſtiſſima loquar experientia, inter non enumeranda exempla partim b. parens meus in concilio Academiae in aedibus Magn. t. t. Rectoris Dn. BECMANI conuocato, hoc fulmine in parte dextra percuſſus, atque die quarto d. 27. Mart. 1698. extinctus, partim Excellentiſſ. affinis meus Dn. IRENAEVS VEHR, Anno 1702. d. 18. Ian. in eodem latere tactus, per annum et quod excurrit uſu manus ac pedis legitimo priuatus, ſatis teſtari poſſunt, quanquam hic *Diuini Numinis* gratia hoc anno ex *thermis Hirsbergenſibus* redux, corporis uigorem conſequi, iterum uideatur, cuius continuationem animitus affini huic optimo patris inſtar honorando, apprecor. Cauſſa quae ſit proxima ex definitione perſpicimus, quae remotae enarrare iucunditatis erit medicae. Sic a gibbere obſeruant *Ephem. N. C. D. I. A. II. p. 333.* Hydropi ſuperuenientem: *D. I. A. VI. p. 153.* a lapſu *D. I. A. III. pag. 112.* Ex meſenterii dolore conuulſiuo, *D. I. A. I. p. 157.* Pedis ſubitaneam fluentibus menſtruis, *D. I.*

A. II.

A. II. p. 335. Pedum ex mora in frigore, *D. I. A. I. p. 202.* a philtro, *D. II. A. VIII. p. 547.* Scorbuticum, *D. II. A. V. p. 46.* a ſtanno, *D. II. A. VII. p. 156.* ex terrore, *D. I. A. IIII. et V. p. 14.* a tertiana diuturna, *D. II. A. II. p. 358.* a uermibus, *D. II. A. V. p. 15. App.* poſt uariolas, *D. I. A. IIII. et V. p. 13. et ſqq.* Breuiſſime haec dicta, prout inſtituti ratio poſtulat, ſi applicamus ad aegrum *Matth.* VIII. et *Luc.* VII. facile huius aegrotantis miſerum agnoſcemus ſtatum. Paralyticum fuiſſe expreſſe docet *Matth.* l. c. u. 5. quod D. LVTH. Gichtbrüchtig uertit ubique, reſpiciens magis ad πάρεσιν ſeu paralyſin ſcorbuticam, ſecundum nonnullos: quanquam alii exiſtiment, illum cum ceteris interpretibus et commentatoribus pſeudoparalyſin intellexiſſe, quos Germani alias appellant *contract.* Duplex enim ex MARCELLO EMPIRICO *c. XX.* eſt, una cum contractione, quam conductionem nuncupat AVRELIANVS *L. II. Chron. c. 1.* altera cum remiſſione neruorum: illa aut uel permanens, uel intercurrens, hinc illam aliis pſeudoparalyſin elegiſſe commentatores tradit BARTHOLINVS *de Paralyticis N. T. p. 24.* H. GROTIVS apoplexiam uertit ex auctoritate Celſi. Et CELSVS quidem *L. III. cap. 27.* ſuo tempore παράλυσιν utrum-

 que

que appellari uidit: uerum exemplo carere, monet RONSSEVS. Apud HIPPOCRATEM lato apoplexiae nomine non raro uenire παράλυσιν certum eſt ex *Aph. XI. Sect. 7.* quod ex *L. I. de Morb. u. 50.* facem mutuatur. „Interim „nihil uideo, iudicium eſt BARTHOLINI, gra- „uioris cauſſae, quo minus uera et legitima „neruorum reſolutio eſſe potuerit, quam „παράλυσιν uocant medicorum filii, παρά- „πληγίαν et ἡμιπληγίαν et πάρεσιν. Illam Sa- „cer uates hic ſequitur, in qua ut eleganter „HILARIVS loquitur artus undique fluidi et ad „conſiſtendi officium agendique corrupti. Exaggerat hoc malum S. Codex, dum addit, βέβληται iacet, ſc. in lecto ſuo, quaſi cadauer ſic BRVTVS, uel toto corpore proſtratus ERASMVS. per continuationem actus iacendi SCHMIDIVS reddit, unde German. dici ſolet: Er hat ein langweilig Lager. LIGHTFOOTO eſt tantum non elatus, inſtar mortui proiectus. Decumbebat E. cum mortis periculo, quod *Luc.* VII, 2. refert: κακῶς ἔχων ἤμελλε τελευτᾷν, *male habens, futurus erat interire:* Todkrank: ut adeo quod *Lucas* his uerbis exprimit, idem *Matth.* innuat ſcribens: δεινῶς βασανιζόμενος, uehementer discruciatus: verbum alias, quod uarios dolores interpretibus et commentatoribus attulit,

quod

quod paralyſis ſine ſenſu ſit, ſine motu. Quidam enim centurionem ſeu medicinae imperitum loqui ſcribunt; quidam de acceſſionis principio explicant. GROTIVS miſeram tantum corporis conſtitutionem innui tradit, atque hanc uocem non ſemper dolorem ſignificare. Conſentit HAMMONDVS, cui quamuis poenam haec uox denotat, ut uerti poſſet coërceo, quaſi in carcere &ſs. Conf. POLI *Synopſ. Critic. T. IIII. ad h. l.* BARTHOLINVS *l. c.* nullo labore tormentorum iſtorum in uera paralyſi rationes ſe inuenire, ſcribit: "Nam (1) βασανιζόμενος dicitur" "iam moriturus, ubi dolor anxietasque ex" "ambiguo uitae mortisque certamine et morbi" "uehementia exacerbantur. (2) Ob diutur-" "nam moleſtiſſimi morbi moram ſatis animo" "cruciatum conceperat, et infelicis uitae tae-" "dia, ut uelut per lapidem lydium, ſine aliis" "tormentis fuerit probatus. (3) Vel ſucce-" "debat conuulſioni paralyſis uel uterque affe-" "ctus erat complicatus rariſſimo exemplo," "quod obſeruarunt tamen HIPPOCRATES" "in illo, cui auris dolebat poſt uergiliarum" "occaſum L. IIII. *Epid. 5. 7.* ABENSINA *3. fen.*" "*2.* FORESTVS *L. X. obſ. 95. 121.* et ego" "(*Bartholin.*) pridem in Anna Longomonta-" "na deprehendi. (4) Impoſſibile non arbi-"

 tramur"

„tramur dolores cruciatusque partibus sub-
„inde pro caussarum uarietate insidere, quan-
„do, illaeso sensu motus, tollitur. Hinc
„μεταβασάννειν μεγάλης resoluebatur Alcimus
„1. *Maccab.* VIIII, 55. (5) Orta forsan
„paralysis ex casu uel uulnere, ubi maximo
„doloris sensu prout uel lethalis fuerit, uel
„minus noxia, percelluntur. Huius farinae
„resolutiones subministrant nobis longa serie
„GALENVS *III. L. A. 10. et IIII. L. A. 4. 5.*
„AVRELIANVS *L. II. Chron. c. 1.* GRADIVS
„*in Rhaz.* FORESTVS *L. I. obs. 95. 121.*
„SCHENCKIVS ex A. BENEDICTO *L. I. obs. 172.*
„ZACVTVS, *L. I. Hist. Med. 48.* (6) In pseu-
„doparalyticis dolorem describit HORSTIVS
„noctuque dieque perseuerantem, referente
„SCHENCKIO, *L. I. obs. 179.* (7) Quid, si
„cruciatus hos resolutioni superimposuerit
„malus daemon, in hominum tormenta
„promtissimus.„ Sed, proximius metam
contingere mihi uideor, si, quod forsan ex
diuturno decubitu attritus tristes dolores
contraxerit sibi aegrotus, senserim, quem-
admodum passim uidemus in praxi quotidia-
na et nos Germ. efferimus: Er hat sich ganz
wund gelegen. Er ist von Liegen ganz
mürbe, alle Knochen im Leibe thun ihm weh,
2c. Curationem iam quod attinet, dum
huma-

humana fruſtra omnis fuit ex natura affectus, CHRISTVS Seruator optimus, precibus uictus atque interceſſionibus popularium, maxime uero fiducia ſancta centurionis, (de aegro enim nihil inuenimus, adeoque quoad ſtatum praeſentem nihil determinare poſſumus.) Abſens, tanquam praeſens, illum ex faucibus leti eripuit, uerbisque Diuina uirtute refertis: ὕπαγε καὶ ὡς ἐπίστευσας γενηθήτω σοι. *abi et ſicut credidiſti fiat tibi.* Sanitati ac uitae reſtituit priſtinae, ſummo cum gaudio domini atque ſalute.

§. II.

Alterum exemplum reperitur *Matth.* VIIII. *Marc.* II. *Luc.* V. quem omnino diuerſum ab illo *Io.* V. habemus, ſecus ac CHRYSOSTOMO aliisque uiſum. Hic ſiue ex longinquo, ut ADERVS uult, fuerit aduectus, ſiue in ipſo Capernaum, prout BARTHOLINVS ſtatuit, poſtquam per tectum (quod in regionibus Orientis planum inſtar ſtrati plerumque eſt) ante pedes CHRISTI demiſſus fuerit, accepta remiſſione peccatorum partim eorum, quibus per hanc uim publicam ſe inquinauerat, ſi iis credimus, quod inuito Domino facta apertio, partim ceterorum, quorum ſtipendium mors et morbi, per quos quotidie

morimur; itidem omnipotente uerbo Seruatoris unico reſtitutus, grabbatum ſuum felix atque incolumis abiens ſuſtulit.

§. III.

Tertium quod extat *Io.* V. occaſionem dare poſſet prolixiores ducendi lineas: tum de ordinario ſanandi remedio ſc. piſcina Bethesda, tum etiam de ſpeciali CHRISTI ratione medendi; Sed quoad prius membrum, dum abunde ſatis explicauerit textum BARTHOLINVS *de Paral. N. T. p. 1.* Eiusque naturam FRISCHMVTH et WENDLER. *in Diſp. de Piſcina Bethesda, Ienae 1660. et Vitenberg. 1676. hab.* deſcripſerint, aliique plures diuerſas ſententias de Angelo deſcendente ſenſerint, (dum alii non per Angelum ſed nuntium humanum uel officialem certo tempore miſſum, ut aquas uictimarum ſanguine atque inteſtinis repletas turbaret, explicant. Alii non quod uideretur, commentantur, ſed, quod perſuaſum eſſet Iudaeis, talia a DEO non niſi per Angelos agi; Alii uel ad uirtutem DEI, uel aemulum uenti ſpiritum mouentem aquas, uel ad uentum ſubterraneum quendam naturalem turbantem fundum et aquam etc. confugiunt.) iudicium noſtrum uſpendentes, certi aliquid ſtatuere nolumus.

Inſti-

Inſtituti memores, et tantum de CHRISTI medicina quaedam dicturi extraordinaria. Appellamus uero hunc paralyticum, ductu BARTHOLINI nunquam ſatis citandi l. c. aliorumque interpretum, non ignorantes quas difficultates criticas creauerit uerbum ἀσθενεία, quas uide ap. POLVM *in Synopſ. Crit. ad h. l.* Rationes iam audiamus BARTHOLINI quibus motus paralyſin credidit. Huc inducor, " inquit, (1.) auctoritate uet. Patrum " S. AMBROSII, CHRYSOSTOMI, THEOPHYLA " CTI, GREGORII. (2.) Quod pedibus uin- " ctus ambulare nequiuerit, unde ἀντίνακτος " NONNO uocatur. (3.) Quia κράββατος pa- " ralyticorum proprius *Marc.* XI, 4. *Act.* VIIII, " 33. per κλίνη *Matth.* VIIII, 2. *Luc.* IIII, " 18. per κλινίδιον u. 24. Sed utrumque con- " iungitur *Actor.* V, 15. quia apud SVIDAM " κλίνη, τὸν κράββατον ערש *Amoſ.* III, 12. " per grabbatum reddit et *Vulgatus* et *Aquila*, " quod *LXX.* eſt κλίνη. (4.) Ab aetate uiri " ad paralyſin apta. (5.) Accedit aer frigi- " dior, ſiquidem tot annos ſine cura exegerat. " (6.) Rationes clariores ex comm. 3. ubi " ξηρὸς paralyticos credo, ſc. pro atrophia ul- " timo inueteratae paralyſeos gradu, teſte FER- " NELIO. (7.) Et curatione per balneum, " in paralyſi tam ab atrophia quam frigore " com- "

„commendatum uehementer C. AVRELIANO, „PLINIO, VITRVVIO, SYLVIO, MERCVRIALI, „SAXONIAE, MERCATO, SENNERTO, ZACVTO. „(8.) Eundem credunt LEONTIVS, CHRYSO„STOMVS, EVTHYMIVS, qui *Matth.* VIIII, 2. „*Marc.* XI. *Luc.* V. paralyticus uocatur. Haec ille. Et certe quamplurimi praeterea dantur auctores, qui huic sententiae, subscribunt maxime moti, ut alias taceamus rationes, methodo CHRISTI sanandi, adhibitis locis parallelis atque exemplis. Hunc igitur, quem medicorum filii in se suscipere nec possent nec uellent, CHRISTVS tandem magnus de coelo Medicus curare aggressus est, atque uerbulo imperantis negotium confecit: ἔγειρε, ἆρον τὸν κράββατόν σου, καὶ περιπάτει, uerba sunt, quae in hisce affectibus plerumque adhibuit: Verba cum imperatiua potestate eius qui uerbo solo creat seruatque, quod Sibyllae canit oraculum:

> πάντα λόγῳ πράττων πᾶσάν τε νόσον
> θεραπεύων.

„Neque mirum, uerba sunt LACTANTII *L.* IIII. „*de Ver. Sap. c. 15.* quod uerbo faciebat „mirabilia, cum ipse esset DEI uerbum coe„lesti uirtute ac potestate innixum. Et si locum *Ioannis* cap. I. u. 1. 2. 3. paenitius inspexe-

ſpexeris, uis illa myſtica tibi pie ſcrutanti perfectiori luce inclareſcet.

§. IIII.

Hisce perſpectis, dum conſtat ſaepius exempla haec CHRISTI pro ſua defenſione allegare quosdam medicos partim abſentes, partim praeſentes certis characteribus et uerbis curantes non immerito Quaer. (1) *An medicus Chriſtianus abſens curare poſſit?* Ad huius Qu. deciſionem quod attinet, ſciendum, curam ſic dictam magneticam affirmantium legitimum et unicum eſſe fundamentum tot ac tantis exemplorum teſtimoniis firmatum, ut iam de eius ueritate dubitare medicis piaculo foret. Conf. MAXVELLI *Cura Magnetica a Frankio edit. Digbaei Opp. et de Puluere Sympathetico* KOENIG. *in Regn. Mineral. p. 144.* Hinc quemadmodum operationem ueram eſſe et nos agnoſcimus; ſic quoque CROLLIVM, GOCLENIVM, P. SERVIVM, PAPINIVM, DIGBAEVM, MAXVELLVM, ceterosque fautores temere non damnamus, neque infinita ſympathiae exempla a finibus naturae profliganda dicimus, quanquam et non ignoremus, quam acriter SENNERTVS *L. V. Prax. P. I. c. 10.* ATH. KIRCHERVS *in Arte Magnet.* LICETVS *c. 55.* de

de Quaest. Epist. Tom. II. et HERM. CONRINGIVS *Medic. Hermet. c. 18.* contradicant, illamque improbare uelint. Quaest. (2) *Quid de uerbis et characteribus et sq. habendum?* Resp: Exemplum CHRISTI infeliciter imitari eos, qui uerbis suis quandam medicam uirtutem tribuunt, quippe nemo mortalium eam sibi Diuinam omnipotentiam arrogare potest, qua Diuina CHRISTI maiestas et humanae naturae data usa deprehenditur. Neque uerba CHRISTI, quatenus uerba eosdem edidere effectus, cum nulla proportio inter uerba et affectus deprehendi possit; sed signa tantum fuere Diuinae potestatis externa, quibus aegros certos reddere uoluit, quod, quemadmodum uerba iam uere proferret externe, sic δύναμιν eius Diuinam omnipraesentem atque omnipotentem re uera operaturam esse, et in actum traduci. Eadem dicta sunto ad exempla Apostolorum, qui in nomine IESV aegrotos sanare, cum in Ecclesia plantanda uiri Sancti iussu CHRISTI Doctoris sui, his usi sint uerbis, et effectus non tam uerbis, quam uirtuti diuinitus concessae atque fidei miraculosae, per uerba declaratae sint adscribendi, quae requisita an in patronis magiae naturalis sic dictae inuenienda fuerint; Alii perscrutentur. Relinquimus

mus defenſoribus ſuas opiniones, uerum uideant, quibus argumentis ſuperſtitiones immo blasphemias defendant coram tribunali medici animarum noſtrarum, et qua conſcientia aut methodo CHRISTI miracula uerbis patrata ex magia naturali deducant, aut characteribus, uel ignotis uerbis, uel numeris menſurisue, uel aliis ceremoniis a ratione alienis, ſuperſtitioſe morbos expugnent. Nos D. CHRYSOSTOMVM ſequemur, potius mortem homini Chriſtiano ſubeundam, quam uitam ligaturis redimendam. Fugite hinc mortales, uox eſt b. BARTHOLINI *l. c. p. 54.* ſi ſapitis, ſi me auditis, latet anguis in herba! Et laruam omnino detraxerunt SENNERTVS *L. XIII. de Conſ. Chymic.* Cl. WORMIVS *c. 10. Nat. ad Faſt.* DAN. HIER. IORDANVS *de illo, quod in morbis eſt Diuinum et ſq.* Admiramur hinc magnae alias famae THEOPHRASTVM PARACELSVM, quod (ſi ſcripta eius ex toto genuina ſunt) aſſerat, tertia magiae ſpecie ſeu naturali, poſſe quemcunque proferre: Surge, tolle grabbatum, et ambula, it. Lazare, expergiſcere; etc. Verba ſane, quae mirum in modum CHRISTI eleuant miracula. Mirum ſane in ceteris PARACELSVM nunquam haec praeſtitiſſe miracula, cum tamen haec et maiora iactet de ſcientia ex incolis coeleſtium

corpo-

corporum ad ſe conuocatis et euocatis hauriendа et hauſta, ut hinc a quibusdam, et fere quamplurimis magiae ſeu commercii cum daemone ſuſpectus tradatur poſteritati, de qua ſuſpicione tamen, uerane an falſa, prolixe in Diſſ. mea epiſtolica de religione medicorum ad Excell. patriae Profeſſores Medicos egi olim. uid. SENNERTVM *in Conſenſ. Chymic.* cum ARIST. et GALEN. HERM. CONRINGIVM *in Introd. in Medic.* BARTHOLINVM *l. c.* quamuis ab Cl. BORRICHIO aliisque contra illum defenſus ſit in HERMETE. Et optime de illo meritus eſſet Cl. THOMASIVS in diſputat. *de Criminae Magiae*; ſi haec diſputatio absque contradictione ab erudito orbe recepta fuiſſet, quippe huius commercii ſeu pacti expliciti exiſtentiam plane negat. Interim neque defuere poſt PARACELSVM, qui ad eius excuſationem ipſi hanc uouere ſententiam, atque conſortium harum ſubſtantiarum intermediarum anxie deſiderare. Inter eos eminet integro ſcripto comte DE GABALIS, *ſur les Sciences ſecretes*: qui eo proceſſit, ut ad immortalitatem conſequendam concubitum cum hiſce ſubſtantiis intermediis celebrare ſibi propoſuerit; nouiſſime idem eruditio orbi propinauit ſcriptum Anonymi, in Tr. Curiöſe Erwegung der Worte Moſes Gen. 6. 2, Amſterd.

2. Amsterd. 1700. 12. 2. *plag.* quod inuito quidem Auctore Celeberrimo lucem aspexit, plenius tamen atque cum approbatione eius ut et deductione ulteriori publica edetur forte, nisi negotia, impediant. Hic Auctor Cl. quid per בני אלהים filios Dei intelligat cognoscimus ex his verbis, dum scribit: Ich verstehe mit denen Cabbalisten, mit dem THEOPHRASTO und dem Auctore des Buchs: *Entretien sur les sciences secretes* titulirt die *Substantias intermedias*, welche die Griechen in *Daemones* und *Agathodaemones* et *Calodaemones* unterschieden haben, welche schon vor viel 100. Jahren unter den Nahmen der *Geniorum* dem PLATONI, PYTHAGORAE, CELSO, PSELLO, PROCLO, PORPHYRIO, NOLLIO, TRISMEGISTO, PLOTINO, FLVDO, et DORNEO bekant gewesen, welchen sie die verborgenste Geheimnüß der Natur gelehret, und diese Männer zu berühmten Leuten gemacht: Es sind die Einwohner der Elementischen Welt, des Feuers, der Luft, des Wassers, und derErden rc.

Ita et editor eiusdem ſententiae, nimis haec dicta extendit et praeter ſententiam absque dubio Cl. Auctoris uarias et neſcio an ſatis Theologicas interpretationes S. Scripturae partim praemiſit, partim adjecit. Quae tamen Theologis examinanda relinquimus, citantes interea ὡς ἐν παρόδῳ I. A. SCHMIDII *Diſp. de Selenitis ex Luna proſcriptis Jen. habit.* et POSNERI *Diſp. de Virunculis Metallicis.* Quicquid ſit, quam belle etiam res praedicetur, ſemper tamen non leve periculum ſubeſſe arbitramur, tutiorique uiâ illum incedere, qui tale negotium penitus intermittat, triſtia enim ſat loquuntur exempla,

- - - *fugite hinc latet anguis in herba*

Judicium iam quoque feret Lector devotus, de barbara Abracadabra, quam ſuperſtitioſum uulgus collo contra febrem appendi curat: Scribit in ſchedula praemiſſis ✝ et Nominibus Perſonarum S. S. Trinitatis h. m.

ABRA

ABRACADABRA,
ABRACADABR
ABRACADAB
ABRACADA
ABRACAD
ABRACA
ABRAC
ABRA
ABR
AB
A

De quo uerſus noti:

Inſcribes chartae, quae dicitur Abracadabra,
Saepius et ſubter repetis, ſed detrahe ſummam,
Vt magis atque magis deſint elementa figuris
Singula, quae ſemper rapies et cetera figes,
Donec in anguſtum redigatur littera conum,
His lino nexis collum redimere memento.

GOCLENIVS *in Phyſ. L. 2.* Similis farinae, quod contra quartanam efficaciſſimum putant ſuperſtitioſi Iudaei apud BVXTORF. *in Synagog. Iudaic. cap. XXXXV. p. m. 665.* qui ita ſcribit: In manuſcripto quodam Iudaico obſeruatum hoc experimentum uidi uocem hanc אברקלן chartae pergamenae inſcriptam et appenſam fugare febrem quartanam ut ſicut litterae minuuntur, ita illa quoque gradatim minuatur. Forma haec:

אברקלן
אברקל
אברק
אבר
אב
א

Vidit idem celeberr. Vir in illorum domibus grandioribus elementis אדירירון Adiriron, Bediriron et ita deinceps ut Diriron per totum Alphabethum diduceretur, efficaciſſimum et praeſentiſſimum ſc. peſtilentiae remedium. Magis ridiculoſa atque iucunda remedia Agyrtarum quorundam reuelauit

B. TIMAEVS

B. TIMAEVS A GVLDENKLEE *in Caſ. Med. pag. m.367.* Laborauerat quidam febri quartana ultra trimeſtre, tandemque circumforaneum conſulens acceperat ab illo Amuletum Syndoni incluſum de collo appendendum, per dies VIIII. geſtandum et denique in profluentem demergendum: Hic ſanitati reſtitutus, arcana ſcire cupiens aperuerit capſulam, atque ſchedulam inuenit, cui inſcripta:

Fett Fleiſch, gibet gute Suppen.

Simile quid refert PHIL. SALMVTH *Obſeruat. Cent. III, Obſ. 81.* de quodam agyrta, qui loco periapti antifebrilis faſciculum ad aegrotantis collum alligauerat, cui inſcripti rhythmi:

Ein Fuchsbelz und ein Marden-Hut,
Sind beyde vor das Kalte gut.

Iucundum ſane fuit remedium Studioſi cuiusdam circumuagantis medicinae contra Odontalgiam, qui uetulae cuidam hac laboranti collo appendit ſchedulam quandam, cui inſcripſerat: Diabolus tibi rumpat collum, uetula nihilominus conualeſcente, apud HEVRNIVM *Method. ad Prax. Med. L. III. p. m. 658.* Et ridiculum a tali uetulae Ophtalmia laboranti ſchedula occluſa appenſum: Der Teufel reiß dir die Augen aus, und - - in die Löcher: Quo quidem liberata, ſed

 aperta

aperta iuſſu Confeſſionarii ſchedula iterum et atrocius malo correpta fuit apud OTT. MELANDRVM in Ioco-ſeriis: R. R. Quantam uim legitimae pronunciationi nominis Diuini Eſſentialis τοῦ יהוה attribuant, ex eo cognoſcere licet, quod tradant, eum qui debito modo pronunciare noſſet nomen τετραγράμματον maxima perpetrare poſſe miracula, omnesque curare morbos incurabiles. Verum ex nulla alia ratione, quam ut Seruatoris noſtri miracula extenuent, eumque magiae et furti accuſent blaspheme. Tradunt enim CHRISTVM huius nominis pronunciationem in lapide, ſuper quem ſteterit arca Domini antiquitus, et in quo ſculptum fuerit שם המפורש, Schem hamphorasch didicerit: atque hunc lapidem in templo CHRISTVM inueniſſe. Tradunt haec in blasphemo iſto libello, quem תולדות ישו inſcripſere, referente NICOLAO DE LYRA *in Probatione aduentus Chriſti per Scripturas a Iudaeis receptas pag. 209. 210.* Hunc tamen libellum inter Iudaeos extare negat et pernegat SALMON ZOBI (SALOMO HIRSCH) *in Libr. Hebr. Germ.* quem inſcripſit: iüdiſcher Tiriack: et oppoſüit Iudaeo conuerſo dicto Fridrich Franz von Ottingen

C. I.

C. I. n. 3. Verum ſatis audacter, cum hodie idem in Chriſtianorum manibus habeatur. Nactus eſt enim eius exemplar incomparabilis BVXTORFIVS. De quo legi meretur eius *Biblioth. Rabbin. p. 421.* et *Lexic. Chald. Talmud. Rabbin. rad.* פנך *fol. 1755.* Conf. et THEOD. HACKSPANII *Tr. de Scriptorum Iudaicorum in Theologia uſu R. Lipmanno affixus c. I. n. 40. p. 287.* SEBALDI SCHNELLI *Examen eorum, quae R. Abarbanel ex Eſ. XXXIV. contra fidem Chriſtianam ſcripſit Th. 101.* et IOH. BEN. CARPZOVIVM *in Diſp. de Quaeſt. Quonam Arca fœderis peruenerit,* Praeſide SEB. SCHMIDIO *Argent 1658. hab.* et *in Volum. Diſpp. No. 2. fol. 86.* Et haec quae a Viris hisce magni nominis adnotata ſunt, confirmant etiam tradita ſatis ridiculoſa, ap. BVXTORF. *Lex. Thalmud. in* שתי, et *Hiſtor. Arc. fœd. c. 22.* RAYMVND. *Pug. fid. P. 2. c. 8. §. 6.* it. LVNDIVM in iüdiſchen Heiligthümern *fol. 262.* Fuiſſe ſc. Lapidi huic Nomen Diuinum inſcriptum, et hoc nomen qui ex Iſraëliticis ſciuerit, mundum deuaſtare potuiſſe. Huic malo ut praeueniatur, duos ingentis magnitudinis canes ante Sanctiſſimum in II. aeneis columnis poſitos fuiſſe. Hinc factum, ut quoties aliquis hoc legerit nomen atque exierit, tantos et hor-

 rendos

rendos ediderint eiulatus canes, ut homines perterrefacti huius obliti sint nominis. IESVM uero ex Nazareth dolose hoc nomen legisse, memoriae mandasse, et pergamenae inscriptum pedis scissurae inseruisse, sicque post exitum ex notitia huius nominis miracula sua patrasse. Magis adhuc blaspheme R. ABRAHAMI apud SEB. MÜNSTER *Not. ad c. II. Matth. Hebraic. fol. 52. 53. Edit. Basil. An. 1537. in fol.* legere potest. L. B. In re Botanica quoque Botanicorum quidam nimis curiosi sunt, quod certa uerborum prolatione herbas colligant. Docet id exemplo Menthae APVLEIVS *de Virtut. Herb. p. 397.* quam mense Augusto ante solis exortum legendam iubet, addita prece: Te precor herba Hedyosmos per eum qui nascite iussit, uenias ad me hilaris cum tuis uirtutibus, et effectu tuo, et ea mihi praestes quae fide a te posco. Mittimus haec et similia alia quae passim nota, et quamuis quaedam ex his inscriptionibus nihil mali neque barbari in se contineant, eo ipso tamen quod superstitionis plenae reiiciendas a Christiano ducimus. Confugere quidem possent Defensores ad imaginationis effectus, quos magnos in hoc terrarum orbe undique depraehendimus. Adeo ut et Magnif. noster BECMANVS Regalia

Medica

Medica Maieſtatis et Anglicae et Gallicae pro huius phoenomenis habeat; Conf. *Lineas Doctr. Moral. c. II. th. 4. pag. 13.* et *Not. Dign. Illuſtr. Diſſ. V. c. II. th. 4.* Verum haecne imaginatio quoad remedia uana in morbis Chriſtiano digna ſit iure dubitamus, qui et non ignoramus quoad tactus regios uirum immortalis famae MORHOFIVM *in Diſp. Princeps Medicus Roſt. 1665. hab.* non leuiter haerere.

Quaer. (3.) *Quid de Fiducia aegrotorum ſtatuendum?* Reſp: Fiduciam aegri de Medico curante conceptam poſſe plurimum docet experientia et ſana ratio. Docuit id iam olim GALENVS *l. Prognoſt.* dum dicit: Confidentiam aegri de Medico plurimum facere ad ſalutem, idque ſe in ſeipſo expertum eſſe, et propterea illum Medicum melius ſanaturum, qui melius poterit perſuadere. Teſtatur ALBERTVS M. 4. *de Anima* ſcribens, aegrum per confidentiam de ſuo Medico tantum ſanare ſeipſum, quantum Medicus medicamentis. Conf. pluribus FIENVS de *Viribus Imaginat. pag. 191.* BOHNIVS *Diſſ. II. §. 4. de Officio Medici.* Elegans exemplum refert BARTHOLINVS de NICOL. KAASIO, Illuſtr. Reg. Maj. in Dania Cancellario, qui accedente ad illum Medico IO. PALVDANO, ſtatim ab aegri-

 tudine

tudine respirans laetus exclamauit: Egregie fidem meam *Paludane* iuuisti. Videant tamen aegroti probe cui fidant, ne sc. talis Medicus sit, de quo BARTHOLINVS *p. 53. l. cit. loquitur h. uerbis:* Rustici, Paedotribae Sacerdotes, aniculae, et carnifex spe pretioque sollicitantur, hoc uno a latronibus differentes, quod ciues intra moenia et non in montibus depraedentur, ut alibi GALENVS loquitur. Nam:

Fingit se Medicum quiuis idiota, Sacerdos,
Iudaeus, Monachus, Histrio, rasor, anus,
Miles, Mercator, Ordo, Nutrix, et Arator,
Lamia, Decoctor, Pharmacopola, magus.

Quos pluribus describunt NESTERVS *in Praefat. ad* MACASII *Promptuar. Mat. Med.* et BOHNIVS *Dissertat. I. §. 20. de Officio Medici.* Concedendum praeterea aliquid esse existimamus Phantasiis aegrotantium, maxime melancholicorum, quo Spiritus exaltari et uires intendere possint omnes naturales ad Materiam morbificam expellendum uel emendandum. Refert hic seriis ut misceamns amoena, THOMAS A VEGA, quendam ex suis decumbentem causo frequenter in delirio obnixissime Medicos rogasse, ut liceret sibi in

isto

isto stagno (pauimentum monstrabat) natare, dicendo, quod exinde esset conualiturus: Et Medicos id ei tandem concessisse: Illum tum in pauimentum mox se deiecisse, et cum in eo aliquanto temporis fuisset, uolutatus, cum summa laetitia dixisse, aquam nunc ad genua et paulo altius adscendisse: Et cum ultimo sibi persuaderet, eam iam usque ad guttur peruenisse, dixisse se iam sanum esse, et reuera sanum euasisse. Plura non adducimus exempla passim in Melancholicis obuia, quibus concludimus, fiduciam sanam erga Medicum probum magno in curandis morbis adiumento esse, sed caueant aegroti, ne nimia fiducia erga ministrum Principem negligant.

§. V.

In ceteris L. B. dum uides Disputationem nondum ad finem perductam quippe iam Tractatio ulterior de Epileptia ceterisque promissis affectibus adiungenda foret, haec quae omissa ob angustiam temporis post haec Solennia tibi promittimus. Praecipue uero cum quasdam ulteriores deductiones in §. III. promissas esse nobis in mentem veniat illae uero desint, ne quasdam haurias opiniones contra mentem nostram ob breuitatem nondum satis explicatam sed in fine demum dispu-

tatio-

tationis ex propoſito noſtro explicandam. Praemonitum te uolumus L. B. ne quae §. III. diximus, ita interpreteris, quaſi τὸ naturaliter, prout communiter de rebus corporeis ſolet, intellectum eſſe uelimus; Dicimus enim in CHRISTO i. e. Theantropo, remedia haec naturalia fuiſſe, a uirtute diuina exaltata et ſuffulta, humanamque naturam absque ea nunquam adeo efficacem ſeſe oſtendere potuiſſe: Nullam aliam in medicamentis etiam mere naturalibus agnoſcimus uim, quam τὸ Θεῖον in prima creatione per uerbum fiat impreſſum et ex parte poſt maledictionem omni agro factam, reſiduum, quapropter diuinam illam potentiam a natura humana nequaquam ſeparamus aut excludimus, pro fine obtinendo, neceſſariam, cum et ſine ea i. e. natura diuina non potuerit eſſe CHRISTVS.

§. VI.

Peruenimus nunc ad miros obſeſſionis effectus a *Matthaeo* c. XVII. u. 15. ſqq. coll. *Marc.* IX. u. 18. 20. *Luc.* IX. u. 38. adnotatos *Epilepſiam* puta, *Lypothomiam* et *Surditatem*. *Epilepſiam*, eamque perfectam, ut inſtitutum meum continuem, cum Excell. Dn. Praeſide meo *in Diſſ. Inaug. de Epilepſia*, hic Reſp. D. MONSCHEIN *An. 1700. hab. c. I.*

p. 3.

p. 3. deſcribo, quod ſit affectus, quo terribili ſuffuſus horrore animus repentino obtorpeſcit nubilo; ſenſus tam interni, quam externi uidentur oboliti, neque de memoria in paroxyſmo unquam conſtitiſſe aegro compertum; Motus ſi non abolitus, adeo tamen deprauatus exiſtit, ut uel in totum, uel quoad plurimas partes conuulſione ex ſtatu naturali diſtorqueatur corpus miſellum, ſine ulla praeſenſione ui morbi ſubito proſtratum: praeſertim autem contrahuntur manus incluſo pollice, ſtrident compreſſi dentes, ſpumaque circa os cum ſtertore clamoſo aut boatu ſeſe exſerit; nec raro ipſa reſpiratio, ſi non in totum cohibita, ad minimum difficilis eſt: Interdum ſemen et excrementa ſponte fluunt etc. Cauſſam alii ab humoribus pituitoſis et melancholicis in cerebro turbam mouentibus, alii a ſpiritu acido uolatili, alii a cumulato ſero in uentriculis cerebri, quod particulis ſuis nitro ſulphureis ſeu bilioſis ſpiritus animales rebelles efficit, atque motum ut WILLISIVS loquitur, exploſiuum producit, conf. prolixius deducentem DOLAEVM *in Encyclop. Med. p. 140.* Hoc certum, maxime phoenomenon hic eſſe conuulſionem, quo mobilis pars ex ſtatu ſuo naturali in praeternaturalem cogitur; quoque ratione id fiat,

fiat, maximo ex ordinarii motus ratione cognoſci poterit, unde facilis deinde ad contrarium patet concluſio. Nos ne nimis prolixi uideamur, breuiſſimis uerbis concludimus, motum ordinario in contractione muſculorum a. inſufflatione ab influxu legitimo ſpirituum animalium naturaliter ſeſe habentium orta conſiſtere: Et ex his requiſitis unum uel alterum ſi deficiat, oriri conuulſionem. conf. ex Phyſiologis BOHNII *Circulum Anatom.* et VATERI *Diſp. Phyſiol V. de Motu Animali.* Methodum influxus uero quaeque naturalis eſſe debeat natura ſpirituum animalium noua hypotheſi atque doctiſſima deſcribit Excell. Dn. Praeſes *l. c. c. III. p. 13. ſqq.* quem legendum Tibi L. B. commendo. Concipit hic Excell. Vir Spiritus animales non aliter, ac ſubtiliſſimas ſummeque mobiles ſanguinis particulas, quae dum motu cordis ad cerebrum propulſae craſſioribus ac magis uiſcidis ſeſe extricare et recta linea pergere conantur, obſtantibus autem his deflectunt, et in gyrum aguntur, hac gyratione ſibi integumentum ex iis formant, quo in bullulas coguntur concentratae et preſſae, ut aliter fieri non poſſit, quin uim elaſticam aut expanſiuam ſecum habeant. Hanc confirmant theſin fermentantes liquores, aqua ſapone

grauida

grauida tubulo et luſu puerili in bullas coacta, bullulae in acidulis diſſilientes, item globuli quas LOWENHOWCK *in Anatom. rerum p. 102 et 103.* in nouo optico bouino detexit. Bullulae igitur naturales et ordinariae i. e. in quibus proportionata mixtio, et temperata tegminis compoſitio, rotundae et facilius mobiles canaliculos neruorum ſubeunt; hinc muſculis datae, et ab inſequentibus propulſae, blande diſſiliunt, ruptoque tegmine, uis elaſtica liberata explodit, qua exploſione fibrae muſculorum diſtentae abbreuiantur, ſecumque membra connexa contrahi et moueri faciunt. Quod ſi vero praeternaturales, i. e. ſi partes eam conſtituentes ſpiſſiores rigidiores, ſalſae acidae etc. tunc aether uel inſufficiens eſt ad motum, unde denſitas, obſcuritas, caligo etc. uel ſi ab aethere impetum faciente licet difficilius ſemel commotae fuerint, impetuoſius, ut corpora maiora et compacta ſolent, et maiori ui illidunt et concutiunt. Diſtinctio nunc quoque adhibenda erit inter Idiopathicam et Sympathicam, et illam iamiam dum conſiderauimus, quaedam de hac dicenda reſtant. Deprehendimus uero hanc ex conſenſu partium tum internarum tum externarum. Sic a uentriculo, a liene et pancreate conf. *Ephemerid. N. C.*

Dec.

Dec. II. An. II. obſ. 148. p. 324. Dec. I. A. I. Obſ. 85. p. 203. Dec. II. A. VIII. Obſ. 101. p. 229. et 230. Dec. I. An. VI. Obſ. 133. p. 180. ab utero, hyſterica dicta, haecque uel menſibus ſuppreſſis, ſemine et ſecundinis retentis, foetu mortuo, partu, conceptione etc. conf. FORESTVM *L. XX. obſ. 115.* HILDANVM *Cent. VI. Obſ. 25. Ephem. N. C. Dec. I. An. III. Obſ. 140. p. 201. Obſ. 317. p. 534. Dec. II. An. II. Obſ. 32. p. 62. An. X. Obſ. 89. p. 160. A. VIII. Obſ. 101. p. 229.* a partu laborioſo TIM. a GVLDENKLEE *Epiſt. II. L. 1.* a Suppreſſo Semine in Viro ZACVT. *Prax. L. II. Obſ. 109.* ab inteſtinis a. ab acido maligno *Eph. N. C. Dec. II. A. II. p. 470. A. VII. app. p. 133.* a uermibus, conf. Dn. Praeſidis *l. c. p. 9.* obſeruationes. BONETVS *in Anat. pract. L. I. Sect. XII. fol. 542.* PECHLINVS *Obſeru. 29. p. 287.* a Scarabaeo *Ephem. N. C. Dec. II. A. I. obſ. 124. p. 317.* ab animalculo lacertam referente capite uiridi aſt uentre rutilo *Dec. II. A. X. Obſ. 166.* ab ol. Vitrioli. DECKER. *Exerc. Pract. p. 186.* ab aſſumto Helleboro IAKSON *Compend. Theoret. Pract.* ab aſſumto Euphorbio. TVLPIVS. *Obſ. Med. L. I. c. 18.* ab Externis partibus inſtar aurae frigidae ad cerebrum procedente. GALENVS *III. de hoc aff. c. 7.*

Ex

Ex tibia HEVRNIVS *Comment. ad aph. 7. Sect. V.* Ex Hypochondriis it. ex aliis partibus extremis ſenſim ſurgentem et incipientem ap. TH. BARTHOLIN. *obſ. med. Cent. III. obſ. 21.* ex ſiniſtro pedis pollice amputato. *Ephem. N. C. Dec. I. A. VI. et VII. obſ. 77. p. 112.* ex manu et brachio ſiniſtro. *Dec. I. A. III. obſ. 336. p. 548.* e ſiniſtrae manus medio digito HILDANVS *Cent. VI. obſ. 24.* e digito cum ſpaſmo incipiente *Eph. N. C. Dec. II. A. VIII. obſ. 36. p. 100. A. VIIII. p. 459.* ex pollice pedis BORELLVS *C. II. obſ. 95.* H. ab HEER. *obſ. 24.* In muliere circa plenilunium ap. DECKER. *in Exercit.* cum tumore digiti pedum minimi ſingulis nouiluniis BARTHOLIN. *C. I. obſ. 82.* Rariora exempla ſunt a ſono campanae et intuitu cuiusdam caeſarei Donavverdae *Ephem. N. C. Dec. II. A. II. obſ. 149. p. 326.* a uiſo lepore uiuo ſeu mortuo ſeu picto. *Dec. II. A. IIII. app. obſ. 45. p. 209.* ex mitra paſſerum plumis infarcta *A. VII. app. obſ. 5. p. 133.* a cerebro paſſerum. *A. III. obſ. 190. p. 372.* a ſpectro *Dec. I. A. VI. obſ. 32. p. 65.* a faſcino *Eph. N. C. Dec. II. A. II. p. 335.* de quo obſeruationes non quidem in totum negamus, interim ueniam impetraturos non ſperamus, ſi non cuiuis anili fabulae absque iudicio et cenſura ſubſcribamus. VNZERVS *de Epilepſia L. I. c. 16. §. 2. p. 98.* inter cauſſas externas etiam

H Dae-

Daemonem seu spiritum malignum, qui corpus exagitet et materiam ad cerebrum, refert ex *Matth.* XVII *Marc.* VIIII *Luc.* VIIII. Loca quae huic §. materiam dicendi suppeditarunt. Dicitur in Historia Sacra noster aegrotus ὅτι σεληνιάζεται, in quem Daemonium potestatem habet. *Aethiops Pers. et Arab. uersio* D. LVTHER. Er ist monsüchtig, cui et conformes sunt reliqui interpretes uertentes: quia Lunaticus est i. e. a Luna patitur. Notum enim ex Scriptoribus Medicis, quod a fermento lunari maxima capiat incrementa, et ad eius conuersiones periodos suas seruet paroxysmus, maxime circa nouilunium, ut hinc medici maxime in phasibus lunae adhibenda medicamenta suadeant; addunt et alii rationem hanc, quod natiuitas in eclipsi lunari maxime eo inclinet. Eidem *Matthaeo c.* IIII, *u.* 24 eiusmodi infelix homo dicitur σεληνιαζόμενος *sideratus* ex uersione ERASMI (sc. in prima editione, nam in secunda id ultro mutauit uid. ERASM. *in Stunic.*) sed male, prout censet *Stunica in append. crit. Siderati* enim dicuntur, quorum corpora ui quadam occulta siderum momento temporis arefacta redduntur; a quibus ut nomine, ita et re differunt lunatici. GROTIVS *ad h. l.* annotatu digna quaedam affert, dum docet,

quan-

quanquam Graeci morbo caduco laborantes σεληνιακοὺς interdum uocent; uideri tamen hic malum grauius et a naturalibus caussis remotius indicari, cui tamen adsit ἐπίληψις, siue Epilepsia. Nam infra c. XVII. ϗ. 15. et deinceps, qui σεληνιαζόμενος uocatur, ostendi fuisse et ἐπιληπτικὸς et δαιμονιζόμενος. Comprobare cupit hoc assertum ex FIRMICO, qui aperte distinguat lunaticos a caducis, et AEGINETA, qui quosdam σεληνιακοὺς dicat esse ὡς ἐνθεάζοντας tanquam numine afflatos; item ex BASILIO et HIERONYMO, qui non aliter interpretentur. Arabs eandem synonymiam nobiscum agnoscit, dum σεληνιαζομένους uocat, qui corripiuntur in initiis lunationum i. e. in nouiluniis, quando interlunium est ex LVD. DE DIEV. Syrus contra pro Somnambulone habet, dum *filîos tectî* interpretatur, quasi tectis addictos; quod illorum proprium dum dormiunt surgere et instar felium tecta aedium conscendere. Nos circa synonymiam amplius non sollicitos nostrum praesentem patientem (uti loquuntur) epilepticum fuisse signa diagnostica ex descriptione haurienda dubitare non sinunt; Pectoris angustia, stridor dentium, τρίζει τοὺς ὀδόντας αὐτοῦ, spumae collectio in ore, conuulsiones per totum corpus, τὸ πνεῦμα

ἐπάραξεν αὐτόν. καὶ πεσὼν ἐπὶ τῆς γῆς ἐκυλίετο ἀφρίζων ap. *Marcum* u. 20. comprobant satis, quae diximus. Confirmant Thesin accurati Medici BARTHOLINVS *de Morbis Biblicis p. 81.* qui et recte Epilepticum hunc nostrum aegrotum censere VNZERVM *L. I. de Epileps. c. 1.* affirmat, atque idem fere, quod nos supra, docet, morbum sc. lunaticum dici uel quia secundum uarios lunae motus et adspectus nonnullos inuadit, uel quia interlunio concepti atque nati huic morbo obnoxii existimantur. VOGLERO *de Rebus Natur. et Med. quarum in Script. fit mentio p. 308.* eadem sententia omnino certa uidetur, ac eo magis, quoad hanc historiam uerisimilis, quod affectus ipse prae aliis maxime horrendus sit, et etiam eo malignus genius maxime delectetur, et miseros homines diuexet. Idem approbant Commentatores CAMERO, LVD. DE DIEV, WALAEVS, BRVTVS, HAMOND. GROTIVS etc. Conf. POLVM *ad h. l.* Agnoscunt praeterea hi auctores omnesque fere reliqui, Daemonem pro caussa huius mali funestissimi, maxime moti u. 25. et 29. *Marc.* c. VIIII it. *Matth.* loc. c. u. 21. quanquam quoque non desint, qui Euangelistas ex uulgari gentis opinione loqui tradunt, qua morbos grauiores et eos praesertim quibus

uel

uel diſtortum corpus, uel mens turbata Daemonio attribuit. Conf. LIGHTFOOTI HOR. TALMVD. *ad h. l.* et OTTHONIS *Lexic. Philol. Rabbin. tit. Daemones.* Alia ratione D. HIERONYMVS *Comment. in Matth. c. IIII. u. 24.* Daemones fraudis accuſat, atque mendaciorum patres agnoſcit, dum non uere lunaticos fuiſſe commentatur, ſed qui putabantur lunatici ob Daemonum fallaciam, qui obſeruantes lunaria tempora creaturam infamare cupiebant, ut in creatorem blaſphemiae redundarent. Et WILLISIVS quoque *c. 2. de morb. Conuulſiu.* refert, eſſe non infimae notae Theologum Anglum qui plures daemoniacos in nouo teſtamento tantum epilepticos fuiſſe aſſeueret, idque et ad noſtrum applicet. Nos licet praeſupponamus Daemonem adfuiſſe, malum etiam hoc παιδιόθεν, ab infantia afflixiſſe aegrum, difficile tamen decidi poterit, an Daemon iam epileptico infortunio puerili et infantili aſſociauerit ſe demum, adeoque auxerit illud, an ipſius imperium infelix ſolum has exitioſas leges naturae tulerit atque ſanitati. Nobis ſufficit Daemonem quandam poſſeſſionem permiſſu DEI ſapientiſſimi atque iuſtiſſimi citra periculum animae rationalis abſque dubio habuiſſe, ut hinc et quidam auctores hanc

epilepſiam diuinitus immiſſam ſtatuant, eo quod θεῖόν τι ſubſit. Ex conuulſionibus porro ab operatione Daemonis eiusque uoluntate ortis procul dubio quoque euenit, ut ſurdus atque mutus factus ſit epilepticus noſter, idque ideo, quod quemadmodum organa auditus ita et lingua eadem praeternaturali diſpoſitione cohibita; cui accedere poteſt et illa ratio non contemnenda, quod auditu priuatus homo atque orbus ſermonem addiſcere non potuerit; AMMANNI enim *ſurdus loquens* incognitus t. t. fuit. Et ſic explicato hoc epilepſiae exemplo, uiſis etiam confectariis *ſurditate* ſc. et ἀφωνίᾳ, adiunctum quoddam epilepſiae adhuc reſtare uidetur. Exprimitur illud uerbis καὶ ξηραίνεται et areſcit. ERASM. PISC. etc. Vnde fit ut totus areſcat, deſcriptio eſt VATABL. Et tabeſcit GROT. ſic et יבש *Zach.* XI, 17. BRVT. et CAPELL. uertunt. CL. HEINSIVS alia hic commentatur: Poteſt, inquit, hoc referri uel (1) ad Spiritum, tunc uertas et *abit* ſeu euaneſcit, ut ξηραίνεσθαι idem ſi quod *Hebr.* נסע, quod Helleniſtae reddunt modo ἐξαίρειν recedere aut abire ut *Gen.* XXXV, 5. *Exod.* VIIII. 4. modo et ξηραίνεσθαι i. e. abire uel non apparere ut *Zach.* X, 2. uel (2) ad ἐνεργούμενον ſiue afflictum, tunc uertas *et defecit*, ut

λειπεθε-

λειποθυμίαν uel ἀναισθησίαν innuat sic aut designet; ut ξηραίνεσθαι idem sit quod יבש ut passim in Psalmis, ἐξηράνθη ἡ καρδία μου. etc. uidemus ex his sententiis, alios pro ἀτροφία explicare alios maxime Cl. HEINSIVM pro λειποθυμία, cui et nos accedimus, praecipue u. 26. *Marc.* l. c. moti, quaque in sententia confirmamur etiam, quod ξηραίνεσθαι *deficere* significet apud auctores Graecos, et hic defectus animi seu deliquium Epilepsiam sequatur communiter. De cura, ut breues addamus theses, tradunt scriptores sacri itidem uerbis CHRISTVM illum restituisse sanitati, dum Daemonem ui maiestatis eiecit, et sic sublata caussa sustulerit effectum: Lypothomiam seu potius syncopen deinde perpessum puerum manu apprehendit; hocque ipso communicando uitalem spiritum et restituendo cordi calorem, motumque sanguinis debitum, puerum ad se redire et conualescere per contactum effecit.

§. VII.

Mirum iam DEI, *Omnipotentis Creatoris*, dominii in mundum ra ionalem exemplum attenta mente considerab imus, agnoscentes ex his in primordiis stati*m*, morbis quandoque θεῖον τι reuera subesse, *n*am:

Non est in Medico semper ut eleuetur aeger.

Conf. IORDANI *Scriptum de eo, quod diuinum est in morbis.* Est illud manifestum in coeco a natiuitate *Ioh.* VIIII. u. 6. atque confirmat u. 3. qui nos docet, ideo huic ademptum fuisse uisum, ἵνα φανερωθῇ τὰ ἔργα τῦ θεῦ ἐν αὐτῷ. Exemplum curae a CHRISTO institutae eo magis admirandum, quo magis a caussis naturalibus, iisque paratis medicamentis fuerit remotum. Clausa igitur atque tenebricosa licet haec sint adyta, faciemus tamen periculum magis ex necessitate medica praesenti, quam curiositate illegali, et quousque progredi licebit, caussam huius mali, seu medium, quo DEVS hoc produxit infortunium fortunatum scrutabimur. Species caecitatis est, eiusque non demum post partum, quae contingere solet hominibus, sed quae in ipso utero materno, uel partu diuinitus immissa fuit nostro. Duas alias potissimum inter homines caecos in usu esse caecitatis species palam est; appellanturque *suffusio* siue *catarracta* der graue oder blaue Staar, et *gutta serena* der schwarze Staar. Haec describitur, quod sit uitium oculi, quo oculi naturalis constitutionis nulliusque uitii speciem prae se ferunt, nihilo minus

minus homo omni priuatus eſt uiſu. Rationem huius phoenomeni ut et uiſus, accurato cum iudicio mathematico ad mentem huius felicioris aeui compoſito demonſtratam lege *in Diſp. Inaugurali de uiſu integro et corrupto et in ſpecie de gutta ſerena, quam hic* MART. DAN. IOHRENIVS *iam Med. Doct. Amicus atque Fautor ex animo ſub praeſidio Excell. Dn. Parentis praeſidis mei anno 1701. habuit.* Suffuſio ſiue ſupremus gradus cataracta potius, cuius indolis et noſtri caeci affectum fuiſſe credimus, miſeriam ſuam debet particulis craſſiuſculis, uiſcidis iisque fibroſis et ſibi inuicem intextis humorem aqueum obtegentibus: et eaedem particulae, ſi nondum conglutinatae, ſed uolitantes atque uagae, ſuffuſionem producunt, qua culices, muſcae, feſtucae, retia etc. ob oculos uerſari uidentur. Concomitatur hoc malum perfectum clauſio oculorum ſibique et oculis agglutinatae quaſi palpebrae deprehenduntur. Specialiora circa cauſſas obſeruamus quaedam apud *Ephem. N. C.* adducta. Norunt illae caecitatem ex barbae et pilorum tonſura *D. II. A. IIII. p. 202. app. A. VIII. p. 294.* certa anni tempeſtate uirginem inuadentem *D. II. A. VI. p. 169.* Ex cancro latente. *D. I. A. II. p. 130.* a Coitu *D. II. A. V. p. 56.*

app. ex Dyſenteria nimis cito adſtricta *D. II. A. X. p. 159.* poſt Epilepſiam in parturiente. *D. I. A. III. p. 293.* a fumo ligni uiridis. *D. II. A. X. p. 38.* ex Nicotianae intermiſſo uſu. *D. II. A. V. p. 459.* Ex ſcabie capitis ſanata. *D. II. A. VIII. p. 255.* Ex ſtercore columbino. *D. II. A. V. p. 76. app.* a ſtramine in nare fracto. *D. II. A. VI. p. 287.* a VSctione *D. II. A. V. p. 292. app.* a uermibus. *ibid. p. 346.* a uini aduſti nimio uſu. *D. II. A. VIII. p. 198.* a conuulſione. BONET. *In Sepulchr. L. I. Sect. 18. obſ. 8.* a forti ſternutatione HILDANVS *Cent. I. obſ. 24. et C. V. obſ. 24.* Ex alapa ZACVT. LVSIT. *L. I. Prax. obſ. 52.* a ſudorifero RHODIVS *Cent. I. obſ. 37.* a VSctione FONTANVS *Exempl. X. f. 48.* Ex ueneno. TVLPIVS *L. I. c. 31.* a purgatione AMMAN. *Med. Crit. p. 530.* a uomitorio HILDANVS *Cent. V. obſ. 19.* a bombardarum horribili fragore. SCHENCKIVS *L. I. obſ. 306.* in Monacho quoties barbam raſerit. BARTHOLIN. *Cent. III. Epiſt. p. 175.* parallela exempla inuenies apvd PAVLLINI in Zeitkürzende erbauliche Luſt. *P. I. p. 40.* Fortuitam in illuſtri quadam Weſtphaliae perſona ſubito in capitis dolore obſeruauit Excell. IOHRENIVS *Pater ex Relatione Filii in Diſput. cit.* illamque adhibito Spir. Volat.

Oleoſ.

Oleos. post 24. horas restituit etc. medicamenti iam nobis progredientibus natura atque compositio consideranda erit medice. Deprehendimus sputum siue saliuam et puluerem fuisse ingredientia, quibus commixtis et ex his collyrio effecto coeci huius palpebras illiniuit CHRISTVS die Sabbathi, atque si non perfecto sufficienti tamen ad uiam inueniendam (nisi illum quidam eo deduxerint) uisu instructum ad piscinam Siloha ablegauit, quo in ea se leuaret. Interpretatur haec piscina Siloha a S. Scriptore, ἀπεσαλμένος: Fons enim Siloam duplici riuo se effundebat in duplex stagnum, superius dictum שִׁלוֹחַ *Es.* VIII, 6. quod significat ἀπεσαλμένος. Inferius שֶׁלַח *Nehem.* III, 15. quod Graeci uocant τῶν κωδίων, pellium q. d. piscina pellium. Ita LIGHTFOOT. *ad h. l. et in Disquisit. Chorograph. Sect. III. p. 34.* Dignae hoc uocabulo Grotii Meditationes, quas antequam hinc discedamus, praetereundas non duximus: Sic ille: *Quoties uocis interpretationem adiungunt Euangelistae, ostendunt ad eius significatum alludi. Siloah dictum uolunt Hebraei, quod inde aqua emitteretur. CHRISTVS qui ubique se uocat missum a Patre Joh. III, 17. 33. et V, 36. 38. et alibi*

alibi passim, unde et ἀπόστολος *dicitur Hebr. III, 1. per hanc* κολυμβήθραν τοῦ ἀπεσταλμένου *intelligit uerbum suum, uerbum emundans Eph. V, 26. Act. XV, 9. Quod qui contemnerent, iis incumbebant clades similes iis de quibus locutus erat Es. VIII, 6. id enim uaticinium iterum completum est in Excidio Hierosolymorum. Neque incredibile est respexisse Johannem simul ad celebre Jacobi uaticinium, ubi* שלח, *uel cum epenthesi* שילח, *per* ח *non per* ה, *in antiquis fuisse Codicibus documento est* HIERON. *uersio, qui mittendus est etc.* Oculos igitur non de nouo creasse CHRISTVM, quod quidem ex Patribus CYPRIANVS, CHRYSOSTOMVS, THEOPHYLACTVS, AVGVSTINVS et qui hos secutus NONNVS statuere ap. HEINSIVM *in Exercit. Sacr. c. 8.* Sed apertos tantum atque ordinariis humanae naturae requisitis ad uisum exornatos recte statuit TH. BARTHOLINVS *l. c. p. 95.* cuius et *Carmen 42. ex L. VII. Eius Carm.* hanc concludat §:

Prima Luto debent nostrae primordiae uitae,
Exque Luto reficit languida membra DEVS.

Vide-

Viderat hoc caecus, cuius reserantur ocelli,
Vt quoque discamus nos meminisse Luti.

Illustrauit huius piissimi Medici meditationes et olim ATHANASIVS *in Opp. T. II. f. m. 327.* dum scripsit: ἐπὶ τοῦ τυφλοῦ ἐποίησε πηλὸν, καὶ ἐπέχρισε τοὺς ὀφθαλμοὺς αὐτοῦ, ἵνα δείξῃ, ὅτι αὐτός ἐστιν ὁ πλάσας καθ' ἀρχὰς τὸν ἄνθρωπον ἐκ τοῦ πηλοῦ. *Super caeco fecit Lutum, et eius oculis illiniuit, ut ostenderet, quod ipse sit, qui ab initio formauit hominem ex luto. Et fol. 255. quoad aegrum.* οὐδὲ ὁ τῷ πτύσματι τῆς τυφλώσεως ἐλευθερωθεὶς εἰς πτύσμα τὴν πεποίθησιν εἶχεν. ἀλλ' εἰς τὴν ἀήττητον ἐξουσίαν τοῦ κελεύσαντος αὐτὸν οὕτω τὴν ἴασιν δέξασθαι. *Nec insputo fiduciam suam fixit is, cuius caecitas sputi remedio sanata erat, sed in inuicta eius potentia, qui hac illum ratione sanare uoluit.*

§. VIII.

Alterum *Saliuae* CHRISTI effectum in curanda caecitate forte eiusdem naturae cum praeced. conspicimus. *Marc.* VIII, u. 23. πτύσας εἰς τὰ ὄμματα αὐτοῦ ἐπιθεὶς τὰς χεῖρας αὐτῷ. D. L. Spützet in seine Augen, und leget seine Hand auf ihn, uerba sunt *S. Marci*, quae

quae ſatis quidem oſtendunt, et impoſitione manuum u. 25. ex oculis diſſipatam fuiſſe caecitatem, et ſaliua. Qui uero modus applicandi ſaliuam, proieceritne immediate in oculos cum impetu ſputum, an eodem modo quo *Ioh.* VIIII. Sputum illinerit digitis, eosque hac madidos impoſuerit oculorum palpebris decidere nolumus.

§. VIIII.

Ad ſurdum reſtituendum atque mutum quoque profuiſſe CHRISTI ſaliuam teſtatur *Marc.* c. VII. u. 33. uocat is noſtrum patientem (1) κωφὸν ſurdum ex uerſione ERASM. BRVT. AR. MONT. D. LVTH. etc. uti ſumitur *Matth.* XII, 22. et XV, 31. quem tamen Beza Surdaſtrum interpretatur, dictumque ſurdum ſiue κωφὸν ex communi loquendi uſu hyperbolico exiſtimat. Nos hic a littera haud diſcedentes attendimus (2) miſeriam, quae ipſum Μογιλάλον uocat. Alii qui miraculum commendare cupiunt, mutum uertunt, i. e. ἄλαλον ex u. 37. atque in auxilium criticum uocant LXX. quae hebr. אלם *Exod.* IIII, 11. *Eſ.* XXXV, u. 6. reddit per Μογιλάλον ac utrobique uerum mutum ſignificari ſtatuunt. Sic. LVD. DE DIEV. HAMMOND. D. LVTH. *aliique.* Alii impeditae

linguae

linguae reddunt ſiue hominem tardiloquum, balbutientem ſiue difficulter loquentem a Μόγις ſiue Μόγος labor, difficultas, et λαλεῖν loqui. Probare ſatagunt hanc theſin (1) ſi de muto ageretur, quorſum hoc adderetur; nam qui natura ſurdus eſt, idem etiam mutus intelligitur, (2) Paulo poſt non dicit illum CHRISTVS loqui coepiſſe, ſed recte loqui. (3) Sibi haud obſtare u. 37. eo quod α particula graecis ſaepe difficultatem ſignificat, uel praeter hunc balbum alios mutos IESVS ſanauit, et LXX. modo ἄλαλον Pſ. XXXIIII. 14. modo μογιλάλον uertere. Modum curationis deſcriptum nobis reliquit u. 33. et 34. ex quibus paucis illum delibabimus. Poſtquam illum ne oſtentabundus uideretur a populo abduxerat digitos ſuos in concham aurium uel meatum auditorium potius miſit profundius, quo morbificam conſtitutionem tolleret mirabiliter. Expuebat dein in digitos absque dubio, iisque inunctis ſaluberrima ſaliua tetigit linguam, uel uitro a natiuitate uel aduentitio laborantem. Qua ex ratione ſaliua iterum adhibita, Scriptores decidere nolunt, unde et nos interim tantum H. GROTII adducimus deciſionem, qua opinatur CHRISTVM ſaepe externo aliquo ſigno inaſpectabilem efficaciam ueluti ſpectan-

ſpectandam exhibuiſſe, atque eadem metho- do digitis in aures immiſſis, irrigataque lin- gua teſtatum feciſſe, ſe eum eſſe, cuius ui clauſi meatus quaſi perterebrarentur, et lin- gua palato adhaereſcens motum recuperaret. Signum porro ſequebatur, quo ad Patrem referebat operis gloriam, ut pie ſatis GRO- TIVS loquitur, ſc. ſuſpexit in coelum, atque ingemuit, non ob difficultatem operis pa- trandi, aut a patre impetrandi, ſed miſerans, ut credibile eſt, humani generis labores. Exemplum ſane, quod omnes probi medici pie imitari debent conf. BOHNIVM *in Diſp. II. de Officio Medici §. 28.* et magni uiri imi- tati ſunt, conf. BARTHOLIN. *de Paral. N. T. p. 61.* HORSTII *Medicas Precationes pro com- modo aegrotantium, etc.* Nam:

Ni DEVS adfuerit uireſque infuderit herbis,
Quid, rogo, dictamus, quid Panacaea iuuat?

AVGVSTINI quoque uerba aurea: *Qui ſine Saluatore ſalutem uult habere, non ſanus, ſed aeger, non prudens, ſed ſtultus, in aegritudi- ne aſſidua laborabit.* Ἐφφαθὰ denique poſt- quam dictum erat, ſiue cum impetu illud pronunciauerit (quorſum tendere uidentur,

qui

qui ἐςέναξε per hebr. זעק ex LXX, *Iob.* XXXI, 38. et שוע *Iob.* XXIIII, 12. exponunt) siue non, cura finita legitur, et occasionem simul primitiuae ecclesiae dedit, mystice ad ritus baptismi haec transferendi facta CHRISTI, sc. uocem ἐφφαθὰ, tactum aurium et linguae cum saliua, ut significaretur, non minus interna mentis impedimenta tolli per spiritum CHRISTI, quam in isto homine sublata fuerant sensuum impedimenta.

§. X.

Hactenus multoties adhibitam fuisse à Seruatore saliuam dum uidimus, uidendum etiam existimamus, quae humanae nostrae uis naturalis; ut eo facilius deinde, quae saliuae CHRISTI uis humana aut quae diuina concludi possit. PLINIVS *L. XXVIII. c. 4. H. N.* quae suo tempore saliuae adscripta fuerit efficacia, plenius nos docet h. u. Hominum uero ieiunam saliuam contra serpentes praesidio esse docuimus. Sed et despuimus comitiales morbos h. e. contagia regerimus. Simili modo et defascinationes repercutimus, dextraeque clauditatis occursum. Veniam quoque a Deis spei alicuius audacioris petimus, in sinum spuendo. Eadem ratione

terna despuere praedicatione, in omni medicina mos est. Et uim alexipharmicam ipsi inesse *Ephemer. N. C. Dec. II. A. VI. p. 151.* quoque obseruant, de rustico in Apulia quodam dicto Lucio, qui a uiperis aliisque uenenatis animalibus demorsum saliua sua uulnus tangendo mox seipsum sanauit: quin et eandem aqua commistam uenenis febribusque curandis miram uim ei potu assumto impertiisse scribitur, armentis quoque morbosis et canibus rabiosis adspersam, recuperasse sanitatem; qua porro uirtute omnis eius familia ipsis quoque fasciis adhuc inuoluti infantes polluerint. Idem adnotatum reliquit ZEILERVS *Cent. 4. Quaest. p. 203.* Ita hodienum illinitur et insputatur salubriter occipientibus strumis, gangliis, gibberi in principio, accedente frictione quae uulgi sunt remedia innoxia, immo satis bona: et nouit WEDELIVS *in Ephem. N. C. l. c. p. 426.* Extuberantium haemorrhoidum tubercula saliuae ieiuni aegri ipsius inunctione fuisse coercita. SYLVIVS *Prax. Med. L. I. c. 30. §. 177.* Saliuam ad partem arthritide affectam contra nouos insultus muniendam infricatam mane commendat. Ganglia seu nodos in carpo existentes frequenti cum saliua frictione absque aliorum medicamentorum

torum uſu ſaepe curauit CHALMETEVS quo de uid. ENCHIRID. *Chirurg. L. I. c. 13.* MAXVELLVS *in Cur. Magnet.* omnes morbos ſaliua pelli poſſe ſcribit. Olim cum ad auerruncanda mala in calceum dextri pedis, antequam illum induerent, ſpuere ſolerent, atque PLINIVS *L. V.* inter amuleta referat, in calceamentum dextri pedis, antequam induatur, exſpuere, hoc ſaliua in utroque factum, a nonnullis contra pedum ſtuporem remedium efficax fuiſſe creditum tradit BEN. BALDVINVS *de Calceo Antiqu. c. 22.* Notanda et hic quae WAGENSEIL. *in Exercitat. Exercit. II. p. 75.* ſcribit: Quantum ſaliua ſani hominis, ſi frequenter ſorbeatur, etiam ad longaeuitatem conferre queat, in nupera panegyri academica facunde, more ſuo, diſſeruit Nobiliſſimus Archiater noſter MAVRITIVS HOFFMANNVS. Saliuam ulcera, lentigines abſtergere uel canes omniaque bruta loquuntur, et D. VATERVS *in Diſp. I. Diſſ. Phyſ. c. 5. th. 5.* annotat. Lichenes puerorum hoc laudare ſaliuale remedium WEDELIVS *Ephem. N. C. Dec. II. A. I. obſ. 11.* docet. Ipſa ſaliua, *uerba ſunt* WALDSCHMIDII *in Inſtitut. p. 22.* ui ſua abſterſiua et ſaponaria ſanat impetiginem et uulnera, ui acida necat araneas, figit mercurium, ueſtigia ueneris etc. Idem in

oculorum morbis, dolore, inflammatione uexatione, punctura etc. Saliuam ualere scribit: TIM. a GVLDENKLEE *in Caf. Medic. p. 62. de caecitate ex ueneficio*, quae obseruauit huc facientia, digna quae apponantur h. l. Superuenit, *inquit*, tandem, (omnia cum frustra) me inscio uetula quaedam saga, digitoque saliua obducto palpebras et oculos contrectauit, uerba quaedam semitertiata submurmurans. Quo facto, subito et quasi in momento uisum recepit. Quae tamen cum suspecta sint, adducemus alia. Confirmat id D. HVNERSWOLF *Eph. N. C. Dec. II. A. III. p. 195.* h. u. Memini cum uterinus frater meus anno aetatis suae duodecimo lorium dissecare uellet, cultri sursum abscedentis cuspide petiit oculum sinistrum scaeua, et tunicam corneam uueaeque partem ita uulnerauit, ut notabilis quantitas humoris aquei effluxerit. Curabatur autem uulnus nullo alio remedio, quam saliua matris. Ea enim diductis palpebris linguam saliua madidam uulneri admouebat, idque lambendo ieiune et deligando molliter curabat, remanente in bulbo isto paruo uulneris inflicti uestigio cum pupilla angustiore et uisu acutiore. In Epilepsia, quae operari possit,

meren-

merentur legi in WEDELII *Exercit. Dec. IIII. Exercit. VIII. p. 37. de morbo insputato*, et Excell. Dn. Praeses *in Disp. de Epilepsia*. In oculorum sane affectibus inter Iudaeos et tempore CHRISTI maxime celebratam fuisse saliuam, discere possumus ex OTHONIS *Lex. Rabbin. Philolog p 618.* et LIGHTFOOT. *in Hor. Talmud. ad Io. VIIII.* Demonstrant id ex uaiicra Rabba fol. 175. 2. Nam ibi R. MEIR simulans morbum oculorum, iubet feminam pro remedio septies in ipsius oculos sputare. It. ex MAYMONIDE *c. 21. in Schabbat.* ubi tradit, illud remedium Sabbatho aegro applicare fuisse prohibitum, nec licuisse oculos nisi in diebus profestis saliua illinire ob reuerentiam Sabbathi, quod medicina prophanandum non erat. Iudicat hinc idem LIGHTFOOT ad *Io. VIIII.* quod CHRISTVS ideo adhibuerit saliuam pulueri commistam, ut experiri posset hominem, an adeo superstitiosus esset, dum sputum miscuit, euitasse suspicionem incantationis etc. Neque dissentit OTHO *l. c.* dum tradit, sumsisse CHRISTVM oculos sanaturum saliuam, sed ut Iudaeis ostenderet, se plane alia ui et facultate sanare, quam uulgo fieret, immiscuit saliuae puluerem terrae, qua nihil magis oculis officit, et fecit ex his tale μῖγμα, quod etiam purissi-

mum et optimum uiſum turpidum reddere et corrumpere potuiſſet, niſi ſummi Medici omnipotens manus adfuiſſet, et miraculo haec ita temperauiſſet, ut caeco ſalutaria fuerint. Verum licet concedamus, puluerem terrae, ipſas ſi attigerit oculorum tunicas, infeſtum eſſe illis, negamus tamen illum in mixtura cum aliis coniunctum palpebris illinitum iſtorum uirorum ſententiam approbare poſſe, ſed ex aliis cauſſis CHRISTVM hanc adhibuiſſe potius uidetur. Docemur enim ex principiis phyſiologicis atque experimentis chymicis, ſaliuam, ceu optimam atque ſpirituoſiſſimam lymphae partem, particulis ſulphureo-aqueo-ſalinis maxime alcalicis turgere, et hinc dum ſummis pollet uiribus diſcuſſiuis, optime in nominatis affectibus adhiberi. Quis iam me Heterodoxiae arguet, quod *Saluatoris noſtri* ſaliuam, quae ex perfectiſſimo proſiliit corpore atque ſanctiſſimo, noſtrae ſatis corruptae anteferam, atque ſi huic tantae uires phyſicae et medicae, illi maiores tribuam. Idque eo hilariori facio uultu, quod ex S. Hiſtoria cognoui, ſaliuam in iis affectibus fuiſſe uſurpatam, in quibus diſcutientia medicamenta a noſtris praecipuuntur praeceptoribus, atque magni fiunt ab experientiſſimis medicis. Nemini interim

interim litem mouebo, ſed unicuique diſſentiendi concedam libertatem, eadem officia ab ipſo poſtulaturus, atque iura; qui et, quae de naturaliter inſtitutis a CHRISTO curis dixi, minime de natura noſtra humana intellecta uolo, ſed de natura CHRISTI humana, ſumma perfectione, ſanctitate, diuina poteſtate atque uirtute gaudente accipi, hoc ſenſu, ut naturaliter in CHRISTO, quotiescunque hoc uocabulo utar, mihi nihil aliud denotet, quam quod non ſupra humanam CHRISTI naturam fuit, ſed CHRISTVS homo ui praeſuppoſitorum ſaliuam et tactum ceu remedia phyſica optimo cum ſucceſſu adhibere potuerit, illae quoque in tantum operari potuerint, licet non in totum, dum acceſſere his mere naturalibus uirtutibus diuinae conceſſae, quibus tam cito tamque iucunde et in momento curauit. Praeſuppoſito iam humanam naturam et ui perfectionis mirabiles producere potuiſſe operationes medicas, quoque haud me peccaturum exiſtimaui, ſi tentarem, poſſitne proceſſus hic operationum per principia philoſophica phyſice explicari, maxime cum in medicorum obſeruationibus, et philoſophorum meditationibus quaedam illuſtrantia legerim exempla, ad quae ſemper tamen ex-

clamandum duxi: duo cum faciunt idem, non eſt idem.

§. XI.

Quatuor nunc *caecos* ex *Matth.* c. VIIII, u. 27. et XX, u. 30. conſiderabimus una uice. Affectum alium, ac hactenus fuit noſtrae conſiderationis cur ſtatuamus, non uidemus, et in elucidanda cura prolixi cur eſſe uelimus, haud intelligimus. Omnes IIII. aegros firmam in ſe collocantes fiduciam tactu reſtituit atque uirtutem ex ſe exeuntem diſcutientemque particulas craſſas uiſcidasque communicauit per impoſitionem digitorum, hoc tantum cum diſcrimine, quod priores poſtquam tetigerat, addiderit: κατὰ τὴν πίστιν ὑμῶν γενηθήτω ὑμῖν. Hocque ipſo fidem illorum egregie iuuare uoluerit, atque adſtantes ad imitandum incitare.

§. XII.

Subiungimus his ſtatim caecum atque mutum ex *Matth.* c. XII, u. 22. eo magis commiſeratione dignum aegrum, quo remotior cauſſa a cauſſis naturalibus. Textum ſi inſpicimus, iterum exemplum obſeſſionis eſt in iſto populo frequentioris neque perrarae; obſeſſum uocamus maxime, quod ſimplicitatem

tem textus euangelici deſerere nolimus, neque ex iis, quae §. 6. de ritu loquendi populi Israelitici locuti ſumus, conuinci queamus, quod non δαιμονιζόμενος fuerit. Viſus huic homini Daemon abſtulit atque linguae uſum, ceu praeſtantiſſimorum organorum, quibus ſalutem animae procurare nobis, legem diuinam meditari, atque τὰ μεγαλεῖα τοῦ Θεοῦ effari poſſumus deuoti atque grati, fecitque id absque dubio, ut aegrum hunc ὡς λέων ὠρυόμενος et quoad animam numero ſuorum inſereret. Quibus mediis id aggreſſus conſilium, quibusue remediis Dominus hunc ex faucibus Daemonis atque aduerſae ualetudinis eripuerit, dum ſcriptura tacet, et nos tacere cupimus, ſuſpicantes interea, forſan eadem methodo inſtitutam fuiſſe curam, quae in antecedd. §. ſaepius deſcripta a nobis.



X.

GEORG. VVOLF. VVEDEL.

in exercitatt. Medico-Philolog. etc.
Dec. V. *Exercit.* IIII.
p. 15. *sqq.*

DE

SALE INSVLSO.

Matth. V, 13. *Marc.* VIIII, 50.
Luc. XIIII, 34.

NOn ſine cauſſa ueteres ſapientiam in quadrato ſtatuebant, ut fortunam rotundo lapidi inſidentem, innuentes huius uolubilem et in horas mutabilem, illius uero ſedem firmam et inconcuſſam eſſe.

Alio longe elegantiori emblemate firmitudinis ſapientiae diuinae ſimulacrum exhibet Saluator Optimus Maximus, *Marc.* VIIII, 50. quando *καλὸν τὸ ἅλας, inquit, ἐὰν δὲ τὸ ἅλας ἄναλον γένηται, ἐν τίνι αὐτὸ ἀρτύσετε; Bona res eſt ſal, ceterum ſi ſal inſulſum fuerit, in quo ipſum condietis?*

Dixerat antea ad ſuos, *Matth.* V, 13. ipſos eſſe ſal terrae, ſeu diuina ſapientia tinctos et imbutos, noſſe uiam ſalutis et aliis doctri-

doctrinam illam caeleſtem impertire debere, complexus ſic ſimul pietatem ſinceram, fidem, prudentiam, quod quidem a ſacrorum horum myſtis repetendum huc eſt. Sapientiam item hanc diuinam ſolum et unicum eſſe condimentum uerborum, morum, factorum et totius adeo uitae. Laude extollens hanc ſubiungit cauendum eſſe, ne τὸ ἅλας ἄναλον *ſal inſulſum* fiat, ſeu ut alibi id effertur, ne μωρανθῇ, *infatuetur:* non eſſe enim aliud condimentum, quo ſalire et condire animos liceat.

Haec optime quidem habent, ſed clarius res patebit, ſi nouerimus, quo modo ſal in comparationem hanc ueniat, et quid ſit, uel quo modo reddatur inſulſum. Id enim ſi conſtet, longe rectius uidentur patere poſſe haec omnia. Cumque contraria iuxta ſe poſita magis eluceſcant, nec ſimpliciter dicatur, habere debere CHRISTVM ſequentes illud ſal myſticum, ſed et ſi non habeant, quam miſere degant, duo iſta laudata attendenda potiſſimum ueniunt.

Et primum quidem e ſalis affectionibus clarere et emicare poteſt. Salis puta culinarii, tanquam ſimplicioris et omnium communiſſimi.

In ſale nihil deſideratur magis, quam *ſapor*, quem

quem et ipſum habeat κατ' ἐξοχὴν, et aliis omnibus infinitis modis foenerat, unde et in principiorum chimicorum cenſum uenit ſal, tanquam primum ſapidum. Non ſapit eſca bene, quae datur absque ſale. Omnia ſapida propter ſal ſaporem obtinent ſuum, et pro ſalis huius quantitate, qualitate, miſcella diuerſitatem ſortiuntur uel offerunt guſtatui expoſita.

Vti itaque ſapor commendat cibos, ita ſapientia animum, ſapientia cumprimis diuina, quae radicatur in ſapientiae fonte θεανθρώπῳ mellitiſſimo. Quo ſapidior ſeu ſapore gratior cibus, eo acceptior; quo magis increſcit ſacra illa et uera ſapientia, eo magis decorat mentem.

Si a ſapore diſceſſerimus, laudanda in ſale eſt *integritas*, ubi ſibi relictum ſit, neutiquam permixtum alieno odore, ſapore, colore inquinatum. Ipſum ſibi ſufficit, nullo eget additamento alio, neque aliud ipſi contra facit ad ciborum gratiam apparandam. Quo purius ſal eſt, eo melius, eo ſapidius. Idem ualet de diuina ſapientia, impermixtam minime fucatam hanc eſſe oportet, nulla aſſuta ſapientia humana, quae coram DEO ſtultitia eſt, nulla eget acceſſione, inſtar puriſſimae et illibatae uirginis ſe habens.

Nec-

Nec diuidi debet uel commaculari carnis illecebris, uel aliis mundanis quisquiliis.

Integritatem ſalis excipit *conſiſtentia*. Tamdiu ſal nomen ſuum retinet, et in uſus cedit cibarios maxime, quamdiu menſis imponi, et cibis inſpergi poteſt, candore conſpicuum et corporatura decenti. Quando uero uel pluuio caelo, uel aqua temperatum deliquium patitur, (ita loquuntur chimicorum filii,) non perditur quidem penitus; uſum uero ſuum ordinarium deponit. Conſiſtentia haec emblema eſt conſtantiae, ut Chriſtiana ſapientia conſpicui non diffluant ad mundi delicias, ad perſuaſiones religioni et conſcientiae, contrarias. Semper eadem eſſe debet, non deliquium pati, uel flecti aquis tribulationum̄ et calamitatum.

Denique *condiendi aptitudo* reliquis omnibus addit colophonem affectionibus, ad conſeruanda illa, quae aſſeruare intendimus, ad durationem puta longiorem, ne putrilaginem concipiant, ad ſeruandum ſaporem, et praeſtanda omnia ea, quae a ſalino principio expectari poſſunt. Fallor, an ad innuendum hoc myſtice etiam ſacrificiis adhibitum fuit ſal, et in omni oblatione ſacrificiorum offerendum erat? *Leuit.* II, 13.

omnis

omnis uictima debebat ſale condiri, *Marc.* VIIII, 49. et igne hinc comburi. Id eo magis confirmat iam aſſerta, condiri debere animos, ne obtorpeant otio, ne uitiis et peccatis corrumpantur ac putrilaginem concipiant. Ne putris ſermo uel ex ore egrediatur *Eph.* IIII, 29. Sed ſemper cum gratia, ſale ſit conditus. *Coloſſ.* IIII, 6. Sicque foedus aeternum ipſum (einen Salzbund) ſignat ſimul, ſi fructum ſapientiae illius, quae condit carnis ſtimulos, uel refrenat potius, ne exuberet, et luxuriet.

Hoc pacto ſane uidetur clarere poſſe optime, qua de ratione uel quo medio comparationis Saluator ſalis terrae nomine dignatus ſit ſuos. Non minus quoque idem ualebit de ſtatu contrario, ſi prius dixerimus, quod potiſſimum intendebamus, de ſale inſulſo ipſo.

Sal inſulſum ex utriusque praedicati ſenſu dicitur, quod ſaporem exuit ſuum, ob quem eſt et dicitur ſal, ac in uſus deſeruit. Τὸ μωρὸν de inſipido dici etiam ex HIPPOCRATE noſtro patet *Lib.* II. *de diaet. cap.* 27. *t.* 2. ubi de iis agit, ὁκόσα ὑγρὴν φύσιν ἔχει, καὶ ψυχρὴν, καὶ μωρὴν, *quae humidam habent naturam frigidamque ac inſipidam.*

Videri

Videri poſſe contradictio in adiecto, et ſal inſulſum uelut σιδηρόξυλον aliquod ſe habere. Licitum fuerit etiam id ex hypotheſi ſaltim aſſerere, ut ſenſus ſit: poſito, ſi ſal reddatur inſulſum, quo ipſo nil quicquam derogatur ſplendori ueritatis ipſius. Neque enim inſuetum eſt, proſequi allegoriam, et conditionarie etiam ulterius rem ipſam illuſtrare. Verum enim uero eo non opus eſt, re uera enim ſal, utut ſapidiſſimum, reddi poteſt inſulſum, infatuari penitus, et uſibus ſuis ineptum reddi, ſeu ex toto, ſeu ex parte.

Inuerti poteſt penitus ſal et exui ſua uelut anima per ignem, ſi ſoluatur aqua primo et euaporetur, hinc aliquot horarum ſpatio igne aperto exuratur; ſolutus per deliquium iterum euaporetur, deſtillando inde aquam dulcem, et iterum aliquandiu exuratur; quo pacto repetitis aliquot uicibus in limum uel terram puram omni guſtu priuatam conuertitur. Experimentum hoc ſal marinum omni ſalſedine exuendi pluries a ſe factum ſcribit BLASIVS VIGNERIVS *Lib. de igne et ſale c.* 68. *p. m.* 125: Addit mirabundus: *quorſum igitur ſalſedo ſalis mei deuenit? certe de hac re quid dicam neſcio, rem autem ita ſe habere ipſa ueritas eſt. Hunc modum ſi quis mihi ſolueret, certe gratum faceret.*

Id

Id uero non difficile esse deprehenditur, si nouerimus sal esse foetum terrae, ut sulphur aquae, mercurio utrisque communi, ex secretiori chimia. Est materia secunda, ex prima nata, est terrae quaedam δύναμις, ἐνέργεια ac uirtus. Terra sale exuta, damnata audit chimicis et relollacea, inutilis. Ignis uero elementa salis destruit, particulas acuminatas, rigidas, acres, solubiles, sapidas inuertit, aqueas proportionatas abigit, acidas ab alcalibus urinosis, seu ammoniacalibus, paucis licet, separat, sulphureas exiguas destruit, singulas e loculis suis deturbat, quo saepius repetito, necessum est tandem nil superesse, quam matricem primam, terram inertem.

Valet idem de salibus quoque aliis seu acidis, seu alcalibus, lixiuiosis. Quis nescit, acetum ipsum saepe sponte inuerti, et inuersis particulis insipidum, iners reddi solere? De salibus lixiuis idem ualet, quod de sale communi iam assertum est. Sal tartari enim eodem modo tractatum, crebriori calcinatione et solutione etiam in terram abit.

Infatuatur itidem et insulsum, saltim secundum quid, et ad debitos usus fit, si fucetur et remisceatur cum aliis, heterogeneis, peregrinis. Sicuti enim aliquando adduntur

aromata

aromata alia, piper, ſemen aniſi, carui, uel ſimilia pro ſuis uſibus, condiendi et corrigendi tum cibos, tum humores morboſos, ſeu flatus quoque; ita impuritas et permixtio alia ineptum reddit omnino. Quis cum terra, cum puluere, cum quiſquiliis permixtum ſal uel menſae apponere, uel ferculis remiſcere condiendi gratia ſuſtineat?

Vtriusque exemplum, et inuerſionis et permixtionis huius, exhibet deſtillatio, quando, recepto chimicorum more, addito boli communis pulueriſato triplo, ad impediendam fuſionem, in fluorem adiguntur ui ignis partes acidae, et ſeparatio elementorum artificioſa peragitur. Ibi toto die et ad oculum *ἅλας ἄναλον ſal inſulſum* uiſitur.

Tacemus iam tactam ſolutionem, quando ſolutum in muriam abit, nec ſi perfecte commodat utentium uotis, aqueis nimis diluentibus particulis. Neque enim muria tam condiendi et aptandi ad ſaporem, quam aſſeruandi aliquandiu uſu adhiberi conſueuit. Mittimus oppoſitam huic ipſam decrepitationem, quando ſal ad ignem torretur, aqueo ſic abſumto ſolum phlegmate. Ex his ergo efficitur facillime, exutum ſapore ſal ſeu dictis illis et cognitis modis, ſeu aliis, ſal eſſe deſinere, et ut *ἄναλον*, ita plane inutile.

Notanter hinc addit Saluator : *οὔτε εἰς γῆν, οὔτε εἰς κοπρίαν εὔθετόν ἐστιν*, neque in terram, neque in ſterquilinium utile eſt; *Luc.* XIIII, 34. et *Matth.* V, 13. *Εἰς οὐδὲν ἰσχύει ἔτι, εἰ μὴ βληθῆναι ἔξω, καὶ καταπατεῖσθαι ὑπὸ τῶν ἀνθρώπων, ad nihil ualet ultra, niſi ut proiiciatur foras, et conculcetur ab hominibus.* Mens eſt, alia recrementa, ad cibum inutilia, reiectanea habere ſuos uſus ad ſtercorandos et impinguandos agros. Tantum uero abeſſe ut ſal inſulſum redditum huic fini inſeruiat, ut potius debeatur locis incultis uiarum, quo quiſquiliae aliae, ut conculcetur, et annihiletur penitus. Ita uero admodum emphatice inſinuat, quam inutilia terrae pondera ſint Chriſtiani, theſauro illo ineffabili orbi, et foras proiiciendi extra regnum coelorum.

Non minus una ſupponitur ac innuitur, ſal eſſe ſterilitatis argumentum ac cauſſam, quod prius, quam attingamus penitius, in mentem uenit, non paucos contrarium aſſerere. Inſtar omnium ſit P. BORELLVS, qui *Cent.* II. *Obſeru.* 21. *pag.* 126. Sal eſſe adipem terrae, *inquit*, quo fertilius quotidie redditur, cum a pluuiis et aliis aquis ad loca decliuiora ſal diſſolutum defertur, unde fit, aquam et terram foſſarum terras fertiliores

reddere,

reddere, et montes ſteriles remanere, fertiles e contra planities. Hincque fit, terram, a qua ſal eductum fuit, ſterilem per triennium omnino remanere, donec ab aere ui terrae magnetica ſal denuo attrahatur. Ideo dixit optime Doctor Doctorum, ſal rem optimam eſſe, et Apoſtolos ideo ſali ſimiles eſſe aſſeuerauit. Hactenus ille.

Aſt, quantum quidem noſtri eſt loci, diuerſa eſt ratio. Ratum hoc eſt potius, ut alimentum animalium eſt dulce, ita et idem in uegetabili regno ualere; ſal uero nutritioni eſſe contrarium. Teſtatur id quotidiana experientia, ſi ſolum fuerit nitroſius, arbores breui extingui, nec aetatem ferre, ut alia uegetabilium genera muria uel urina, uel aliis talibus aſperſa mox marceſcere et emori. Eſt enim ſal contrarium γλισχρῷ, acrimonia ſua poros findit, et exſucca ac arida reddit arbuſta.

Interim uerum eſt, cineres aſperſos uel ſalia conferre poſſe ad fructificationem, ſed per accidens magis, quod uel tollantur ſic peregrina impedimenta, uel poroſius ſic reddatur ſolum, uel ſulphur magis ſolubile et ad diductionem aptum, uti ſolent fimo ſoluto nitrum addere, ſolutione hac grana macerare et imbibita hinc ſerere, non minimo cum

foenore. Pertinet huc eo fine etiam accendi aliquando arua, quod latius canit *Poeta* I. *Georgic. p. m.* 34.

Saepe etiam ſteriles incendere profuit agros,
atque leuem ſtipulam crepitantibus urere flammis etc.

Notum enim uiciſſim eſt deſolatis locis inſperſum eſſe ſal, et in prouerbium abiiſſe terram ſalſuginoſam pro infoecunda et ſterili, quod e ſacris ipſis et aliunde fuſius probare ſuperſedemus. Vt adeo ſal inſulſum plenarie ſit ineptum ad illos uſus, quos obire ſal alias conſueuit: e contrario uero *in ſolo CHRISTO qui ſapit, ille ſapit.*



XI.

XI.

IO. IAC. BAIERVS

in animaduerſ. Phyſico-Medicis in quaedam loca Noui Foederis D. N. IESV CHRISTI p. 15. ſq.

DE

SALE FATVO SEV INSVLSO.

Matth. V, 13. *Marc.* VIIII, 50. *Luc.* XIIII, 34.

QVod iſtis locis non aliud *ſal*, quam culinis ad alimenta condienda uſitatum, propterea *commune* et κατ' ἐξοχὴν dictum, ſignificetur, nemo non intelligit. Nec minus perſpicua eſt *comparatio*, quam CHRISTVS inſtituit, *aſſimilando rectam Apoſtolorum ſuorum doctrinam et uitam, uirtuti et bonitati ſalis*; de qua comparatione et ipſius acumine multa et egregia commentatus eſt BERN. GOMESIVS *Diaſcepſ. de Sale Lib.* IIII. *cap.* 14. quocum conferri poſſunt ea, quae pariter prolixe in eandem rem congeſſit G. VV. VVEDELIVS *Exercit. Med. Philolog.*

 Decur.

Decur. V. *pag.* 19. Nobis in praesenti sufficiet hoc unum examinare: *num et quo modo sal istud, condiendo destinatum, reddi possit* ἄναλον, i. e. *insulsum, iners, fatuum,* seu *infatuatum?* quod postremo positum τὸ μωρανθῇ exprimit; ac Germani apposite pronuntiant abgeschmackt, uel ungeschmackt, *contrarium naturae salis*, utpote quod Chimicorum sententia sit *primum sapidum.* Et sane, si uulgaris consulatur experientia, *sal nostrum commune*, seu *fontanum*, seu *marinum*, seu *fossile*, sicut alia corpora, quibus id accedit aut aspergitur, a corruptione defendit; ita per *se ac sibi relictum, non aeque obnoxium est corruptioni, ne dum putredini*, ad quam citata ab interpretibus Aethiopica uersio inepte respicit. Est tamen fortasse inter illas *salis culinarii* species aliquod discrimen, ut *unum altero sit durabilius.* Quodsi hodiernum Palaestinae statum, a prisco non penitus alienum concipere licet, usitatum incolis *sal*, teste OLIV. DAPPERO, *in descriptione Palaestinae p. m.* 442., e cauernis rupium ad littora *maris mortui*, quod *S. Litterae salsum* uocant, ab Arabibus colligitur ac diuenditur. Tale probabiliter terrestris et hebetioris est indolis, et quod a diuturno uariantis coeli commercio sensim obtundi,

et

et acredine nutiua exui poterit, forte facilius quam id, quo nos utimur, nempe magis purificato et condensato. Ast neque desunt modi, quibus *optimum etiam sal commune leui opera iners et ἄναλον re uera effici queat*, repetita nempe per aquam solutione, rursum exsiccatione et calcinatione; quam in rem legi possunt, quae fusius edisseruit OL. BORRICHIVS, *de ortu et progressu Chemiae pag.* 82., qui etiam fidem facit, isto modo impetrari *corpus insipidum, linguam non magis feriens, quam quaeuis terra figularis, commoriente sic sale, ut ab alia terra alba insipida distingui nequeat:* conf. Illustr. D. STAHLII *Specim. Beccher.* pag. 216. et sequ. Viam hoc experimento praeeuntem, BORRICHIVS et VVEDELIVS citant quendam, BLASIVM VIGENERIVM, quem tamen inspicere mihi hactenus non licuit. Ceterum istiusmodi *sal euanidum* et reapse *ἄναλον*, ueracissimo CHRISTI effato, *ad nihil ualet amplius, neque ad terram* (foecundandam) *neque ad sterquilinium appositum est*, quale propterea, Chimicorum phrasi, *caput mortuum*, aut *terram damnatam* nuncupare licebit.



XII.

IO. IAC. BAIERVS

in animaduerſ. Phyſico-Medicis in quaedam loca Noui Foederis D. N. IESV CHRISTI p. 17. ſqq.

DE IMPOSSIBILI MVTATIONE COLORIS CAPILLORVM.

Matth. V, 36.

P*ilos* in uniuerſum, ipſosque etiam *capillos*, pro contemtiſſimis humani corporis partibus habere, adeo commune eſt, ut uiliſſimae res quaeuis, *ne pilo quidem dignae*, ueteri adagio pronuntientur. Ad hanc uulgarem opinionem forſitan ſeſe accommodans *Diuina Sapientia* (*cuius theſauri omnes in CHRISTO ſunt abſconditi*) ut redargueret mortalium proteruiam, in exemplum ἀδυναμίας eorundem obiecit illud ipſum: *non potes unum capillum album facere aut nigrum.*

Quandoquidem uero pridem excogitata et uſu comprobata ſunt *artificia, diuerſo colore imbuendi capillos*; cuiusmodi uaria iam ante

ante natum CHRISTVM celebrata, seorsum apud DIOSCORIDEM *Euporist. Lib.* I. *cap.* 98. *et* 99. expressis titulis (πρὸς τὸ ποιῆσαι ξανθὰς καὶ μελαίνας τρίχας) leguntur; ut alios, qui post illum scripserunt GALENVM scilicet, AEGINETAM, AETIVM, ORIBASIVM, ac recentiores multo plures, similia tractantes, taceam; oriri hinc poterit, circa sensum istius negationis aliqua dubitatio; quae tamen facile cessabit, si consideretur, *omne illud artificium esse fucatum et inconstans, saltem in homine aut animali uiuo.*

Nimirum qualiscunque tinctura, pilos iam productos imbuens, non penetrat in eorum radices, e quibus sensim repullulat innatus color pristinus, euanescente sic gradatim ab imis partibus fuco, nisi idem continuo repetatur. Hoc autem, accurate loquendo, non est τὸ ποιῆσαι (cuius uerbi ἔμφασιν eleganter ostendit ERASM. SCHMIDIVS in comment. ad h. l.) sed illinere saltem pigmento fugaci, nil mutata natiui coloris indole in originibus pilorum. Quin neque uerum est, quod capilli, natura coloris alieni, temporario quantumuis isto artificio, speciatim *dealbari* queant; si forte momentaneas farinacei pulueris (qualem barbare composito

 uoca-

uocabulo Haar-Poudre appellamus) aſperſiones exceperis.

At enim uero *canos* haud uno modo producere ualet humana cura, etiam ante ſenectutem; ut aerumnoſam uitam agentibus, citra uoluntatem quoque ſuam tales ſaepius proueniant, (daß ſie für Bekümmernis und Sorgen frühzeitig grau werden); cuiusmodi capillorum conditio cum *albedine uera* non raro quidem confunditur, diſtinguenda tamen eo magis, quo magis a τῷ λευκῷ diuerſum eſt τὸ πολιόν: Quare LXX. Interpretes, ubicunque in *Teſtamento Veteri* fit mentio *canitiei*, conſtanter ponunt τὰς πολιάς, proprie *canos*, non albos capillos. Tales uel ſola inunctione *pinguedinis taxi* poſſe effici, ſatis exploratum eſt; ut etiam iuuenes uiſi ſint, qui aliqua in parte nigri capillitii ſui, aut barbae, per iocum illata pinguedine illa, *ſtabilem canitiem* contraxerint.

Ceterum *capilli* re uera *incani*, microſcopio accuratius examinati, apparent inanes et medulla uacui, colore deſtituti, atque hinc pellucidi ad inſtar glaciei, ad cuius ſimilitudinem *canities* noſtratibus apposite dicitur Eis-grau. Ex aduerſo autem *colorati* quiuis, ipſimet etiam *albi natura capilli*, medulla quadam farciti conſpiciuntur, quae iis

pro

pro diuersa indole sua colorem singularem conciliat. Confer. Dissertatio inaug. nostra, de *Capillis*, praeside D. RVD. VVILH. CRAVSIO, habita Ienae An. CIↃIↃCC. Horum aliquid ut aliter nascatur, ad arbitrium suum efficere homo neutiquam potest, corrumpere uero ac perdere suis artibus pulcherrimis.

Quod ad *canitiem* attinet, sicut ea, quasi naturalis, in senectute et post aetatem pie recteque traductam, sponte sua emergens, *gloria existit senum*, ita in se considerata physice, exarentes et casui proximos designant capillos; qualium artificiosa effectio non magis commendare mihi uidetur artificem, quam eum, qui arbores aut herbas uelocissime ad macrorem et interitum perducere se posse gloriaretur.

De uanissimo illo uiuos capillos tingendi studio, ut nonnihil adiiciam, ne quidem periculo carere id certum est; quandoquidem non solum GALENVS, citante HIERONYMO MERCVRIALI *de morbis cutaneis Lib.* I. *cap.* 6. testatur, *acerba, adstringentia et frigida remedia*, eo fini frequentata, *magnos morbos attulisse mulieribus, ueluti apoplexiam, comitialem morbum; catarrhos atque huiusmodi iliadem malorum;* uerum etiam TERTVLLIANVS *Lib. de ornatu feminae* commemorat, *mu-*

mulieres dedisse poenas istius lasciuiae, quod ob diuturnam moram sub sole, caput ipsis saepe et grauiter laesum sit.

XIII.

GEORG. VVOLFG. VVEDEL.

in exercitatt. Medico-Philolog. etc.
Dec. IIII. *Exercit.* III.
p. 10. *sqq.*

DE
PANE QVOTIDIANO.

Matth. VI, 11. *Luc.* XI, 2.

NOtissima apud Christianos et solennis inter alias precandi est formula, τὸν ἄρτον ἡμῶν τὸν ἐπιούσιον δὸς ἡμῖν σήμερον, *panem nostrum quotidianum da nobis hodie; Matth.* VI, 11. Si illos forsan excepero, qui cyclopis Euripidei instar non DEO, sed sibi offerunt edulia, καὶ τῇ μεγίστῃ γαστρὶ τῇδε δαιμόνων, *et uentri suo, qui maximus ipsis est Deorum.*

Quid uero notetur et per panem ipsum, et uocula illa descriptum, per panem ἐπιούσιον puta, non inepte forsan et ex medicorum loculis disquiri meretur. Neque cul-

culpandum tamen quis sustineat temere loquendi usum receptum, modo uicissim liceat meditari de sensu penitiori et nunquam satis exhauriendo, inprimis cum non omnibus linguis aeque accurate exprimere liceat quod hac uel illa effertur.

Panis notione in dubium est, e Scripturae genio et familiari loquendi usu, notari omne uescum, esui et usui humani corporis aptum, unde frequenter admodum panis et aquae nomine exprimi legas omne cibi genus, u. g. *Gen.* XXVIII, 20. II. *Reg.* VI, 22. sq. *Eccles.* VIIII, 7. et passim.

Panis nominatur loco omnium, utpote fundamentum, basis et praecipuum reliquorum, quicquid etiam contra ea afferat HELMONTIVS, reliqua alimenta ueros cibos, panem obsonium saltim esse reliquorum ciborum contendens. Panis antidotus famis genuina, pabulum uitae, uirium, sanguinis spirituum, roboris; panis elementum chyli optimum, e seminibus frumentaceis chylosis confici solitus; panis stomacho gratissimus, ut neminem satietas eius capiat, si quidem sanus fuerit.

Habet in se dulcedinem nutribilem, habet γλισχρότητα, sulphur alibile plurimum, unde recte CELSVS *L.* II, *c.* 18. plus alimenti esse in pane, *ait*, quam in ullo alio. Nullum

itaque

itaque conuenientius poterat dici, cum, ſi panem dixeris, omnia dixeris, et reliqua eiusdem ſaltim ſint acceſſoria et condimenta. Tacemus eodem nomine ſignari latius et alia uſibus et commodis uitae neceſſaria ſubſidia, quo de noſtri ſcopi non eſt pluribus agere.

Vox ἐπιούσιος N. T. eſt propria; neque enim uel apud LXX. occurrit, uel profanos alios, quod ſciam, auctores. Si lexica conſulamus, commune illud occurrit cacoethes, reperiri easdem fere merces ſub diuerſis fornicibus, pluribus magis in nominibus occupatis, quam rebus ipſis.

Res eo redit, poſſe deriuari hoc uocabulum et epitheton admodum emphaticum uel *ἀπὸ τῆς οὐσίας a ſubſtantia*, ne alias ſignificationes, uitae, opum, et ſimilium, facile huc applicandas, laudemus, addita praepoſitione ἐπὶ, unde ſubſtantialem, eſſentialem, ſubſtantificum, ſuperſubſtantialem, adſubſtantialem panem uertunt, quem uno uerbo myſticum hinc fere intelligunt, ſiue *ἄρτον ζωῆς, Io.* VI, 35. *panem uitae*, ſiue doctrinae coeleſtis; q. d. (ut cum ERASMO loquamur): Ale pater, quod genuiſti, proſpice nobis, ne nos deficiat panis ille Tuus doctrinae coeleſtis, ut eo quotidie ſumto, confirmemur et adoleſcamus, uegetique reddamur ad Tua iuſſa perficienda. Et

Et id quidem pia deuotione non male, quamuis id uideatur textui ipſi minus per ſe congruum, cum iam antecedenti petitione non una id exorare iuſſi ſimus.

Vel a communi radice compoſita ἔπειμι, *ſuccedo*, *inſequor*, unde ἐπιών, ἐπιοῦσα, *ſequens*, quod de ſequenti poſteroque die non ſolum in ſacris, ut *Actor*. VII, 26. uerum quoque apud HIPPOCRATEM noſtrum pluribus locis, etiam abſolute poſitum, ſumitur, ut apud FOES. *in oeconom. Hippocr.* ſub hac uoce reperire eſt. Vnde quamplurimi alii, tum ueteres, tum recentiores uertunt craſtinum, q. d. uictum imminentis temporis, panem craſtinum.

Nec deſunt, qui pridem ex textu Hebraico מחר id demonſtrari poſſe confidunt, neque enim recens eſt haec opinio, quamuis nouiter aſſerta a SIMONE *Hiſtoria Critica N. T.* recenſita *Actor. Lipſ.* CIↃIↃCLXXXVIIII. M. Martio p. 117. ſqq. Audiamus TANAQVILLVM FABRVM, qui *uerſ. et not. in Ariſtophanis concionatric. p. m.* 995. Miror, *inquit*, hactenus non uidiſſe doctos ἐπιούσιον ἄρτον ſignificare panem ſeu cibaria, quae in diem craſtinum neceſſaria ſunt, ut absque omni ſollicitudine DEO uacemus.

Verum

Verum hi non attendunt, eodem in fonte *uerſ.* 34. prohibitum eſſe a Saluatore: μὴ μεριμνήσητε εἰς τὴν αὔριον. Vel, ſi maxime id molliamus nec contra pietatis leges eſſe arguamus, quod uult FLACIVS *in claue* Par. I. *p. m.* 1027. obſtare tamen uidetur textus συνάφεια, et quod expreſſe additur σήμερον, *hodie*, ſeu, ut *Lucas* emphatice reddit *Cap.* XI. *uerſ.* 3. τό καθ' ἡμέραν, quantum pro quotidiano uſu indigemus.

Neſcio enim, annon diffidentiam quandam importare poſſit, ſi illa petamus hodie dari, quae in craſtinum cedant uſum. Non confundenda eſt dictio ἐπιούσιος cum ἐπιούσῃ, ſeu ſequente die craſtini, quae ſunt diuerſisſimi generis.

Demus tamen, utrumque ſano ſenſu dici poſſe et ſtatui, liceat nobis inferre, τό ἐπιούσιον, notare ſequelam, adeoque reddi optime panem, ut ita loquamur, *conſecutiuum ſucceſſiuumque* unſer immerzu bedürfendes, täglich auf einander folgendes nöhtiges Brod.

Vt enim pulſus pulſum conſequitur, ut uita et nutritio pari paſſu ambulant: ita ſucceſſiue reparanda ſunt principia uitalia, reparanda quae abiere, et conſumta ſunt. Panis tanquam cibus conſequitur appetitum, appetitus

itus defectum, defectus caloris ἐνέργειαν in humidum, motum, labores.

Efficitur nimirum, quod diximus, partim ex natura rei, partim ex natura uocis, rem designantis. Quotidiano egemus pastu, eoque duplici in adultis, continuato, consecutiuo, et successiuo ordine ipsius naturae; huic uero defectui si non succurratur, si non subinde noua succendicula, nouus fomes et pabulum igni uitali subministratur, pessime habet corpus.

Norunt id satis superque suo damno, qui famem experti sunt longiorem, nec ἐπιούσιον ἄρτον obtinent, quo succurrant poscenti corpori, quem offerant famelico uentriculo. Petimus ergo iure meritoque a DEO O. M. ut hunc nobis benignissime largiatur, et sic superesse dignetut longius laudis suae praecones.

Hinc notat 2. panem *necessarium*, *sufficientem*, adeoque quotidianum, qui et respondeat ut supplementum, et ut complementum corporis, nec deficiat. Attendit id prae aliis Arabs, (quem dono Exc. ANTONII MAGLIACHII debemus,) qui uno loco *sufficientem*, altero *sufficientiae* expressit. Nisi enim sufficiat, nec corpus sufficit uel labori, unde illud *Coi*: ubi fames, ibi laborandum non est, uel aliis functionibus suis, sed uires

L fati-

fatiſcunt. Illam ſufficientiam et proportionem praebii limitat tum ἡ τοῦ σώματος αἴσθησις, *corporis ſenſus*, tum εὐφορία tolerantia, ut fruſtra ſit ad ſtateram, ad libellam haec menſurare cum SANCTORIO et LESSIO.

Ampliori porro ſignificatione notat 3. panem *ſatiantem*, firmum, ſubſtantificum, ſenſu medico, qui ex aſſe ſatisfaciat, et foeneretur partibus alimentum debitum, non ſpirituoſis ſaltim, non fluidis, ſed et ſolidis, per πρόσθεσιν, προσομοίωσιν, καὶ πρόσφυσιν, *appoſitionem*, *aſſimilationem*, *et uelut connaturationem.* Nec auferatur ſic omne robur panis et omne robur aquae, *Eſ.* III, 1. quae alendi facultas et robur alibi מטה - לחם *uirga* ſeu *ſcipio panis* dicitur, *Leuit.* XXVI, 26. *Pſ.* CV, 16. Faceſſant itaque, qui neſcio quo magico unguento umbilico illito omni ſe uſu cibi et potus carere poſſe perſuaſum habent.

Notat 4. panem *ordinarium*, cibarium, homini congruum, et alere aptum, cui fini frumentacea ſemina ordinarie ac uſitato optime inſeruiunt, ſecale, triticum, zea, minus leguminoſa, minime alia, adhuc peiora, radices arborum, plantarum, uel cortices; quis enim enumeret, quae durum famis telum

lum insolita tentare iubet? Exemplum unicum laudabimus *Hippocraticum*, ex *L.* VI. *epid. S.* 4. *t.* 31.

In Aeno ἐνλιμῷ, *tempore famis*, (hoc uero plane omittit Latinus,) legumina comedentes assidue, feminae, mares, crurum impotentes facti sunt, et permanserunt. Sed et eruum comedentes genuum dolores habebant. Quid de aliis deterioris commatis sperandum fuerit?

Notat 5. panem seu τροφὴν εὐκαιρίας; *tempestiuum*, *Ps.* CIIII, 27. Habet enim stata sua tempora appetitus, suas uicissitudines et ordinem, ut urgente fame, et exerente se stimulo archei, praesto sit, quod eundem obtundat iuxta ac expleat, ut panis cor hominis confirmet, *Ps.* CIIII, 15. et robur nouum addat. Hinc apud D. IACOBVM II, 15. redditur ἡ ἐφήμερος τροφή; *uictus quotidianus*, admodum concinne.

Ex quibus omnibus patet, quam apte et rei conuenienter, aliisque omnibus uocibus contra hoc ipsum epitheton pani tributum sit. Panis itaque et aqua omnium solidorum uescorum et fluidorum potulentorum materia prima, ut modo panis suppetat, etiam simplex aquae potus ad diluendum nutribile sulphureum officium faciat.

XIIII.

IO. IAC. BAIERVS

in animaduerſ. Phyſico-Medicis in quaedam loca Noui Foederis D. N. IESV CHRISTI.

p. 19. *ſqq.*

DE OCVLO LVCERNA CORPORIS, ITEM DE OCVLO SIMPLICI ET NEQVAM.

Ad Matth. VI, 22. *Luc.* XI, 34.

QVam recte ſuſtineat *oculus* elogium *lucernae corporis*, ipſi adeo caeci intelligunt, quando illius beneficio carentes, ſole quantumuis meridiano ſplendente, in profundis uerſari tenebris ſibi uidentur; uti contra illius lucernae, extrinſecus accepto lumine ſufficienter inſtructae, uſu gaudentes, *totum corpus illuminatum* quaſi promte circumferunt. His tanquam *oculatae ſunt manus*, recte uerſantes circa quaelibet obiecta, quae uiſu digno-

dignoſcuntur; *pedes* itidem *oculati*, ac ueluti proſpicientes, quonam tuto inſiſtere aut progredi debeant. Neque ulla unquam lucerna uelocius irradiare poterit obſcurum aliquem locum, quam oculus humanum corpus, quatenus idem lumine indiget.

Non eſt praeſentis inſtituti, admirandam oculi fabricam exponere, aut ſeorſim declarare, quam conuenienter eadem compararetur cum machina, quae *Opticis* dicitur *camera obſcura*, in qua rerum extra poſitarum imagines, minuta forma et inuerſo ſitu repraeſentantur; quod ſimiliter in *oculo* fieri exploratiſſimum eſt; cum tamen illae ipſae imagines in contrario, naturali nempe rectoque ſitu conſtitutae, in ſenſum communem tranſeant; quae ſane conditio omnem omnium machinarum ſubtilitatem longiſſime ſuperat.

Quemadmodum uero, dicta ratione *oculus*, proprie ſatis loquendo eſt *lucerna corporis*, qua praelucente *totum corpus lucidum* exiſtit, dificiente autem ad recipiendum aut percipiendum officio, *totum* quaſi *tenebroſum* euadit, ita externo etiam aſpectu produnt *oculi* frequenter ualetudinem totius corporis, ſecundum iſtud HIPPOCRATIS *Epidem.* VI, 48. effatum: *oculi ut ualent*,

ita et corpus; quem locum interpretans, GALENVS, τὸ γυῖον ſignificare docet τὸ σῶμα ὅλον, *totum corpus*; pulchra ſic emergente analogia huius dictionis cum phraſi Biblica. Oſtendit etiam idem GALENVS, *quod colorum mutatio celerius in oculis, quam in aliis partibus appareat, ob eorum munditiam nitoremque naturalem.*

Ceterum quis, tam phyſica, quam morali ſignificatione, ſit *oculus ſimplex*, aut *malus*, uix melius puto me explicare poſſe, quam uerbis a IO. de MEY *Phyſiol. ſacr. append. p. m.* 230. mutatis: *Dicitur oculus ſimplex, qui ſanus eſt, et externis humoribus, qui uiſum perturbant, non miſcetur, ideoque purus eſt et clarus.* Q. d. *ſi oculus eſt naturaliter et recte conſtitutus, totum corpus tuum lucidum erit, et quaſi oculatum; quia praeuia oculi ſui, luce et directione omnes actiones ſuas recte obibit. Si autem oculus tuus male affectus fuerit, et uitioſo humore imbutus, adeoque impurus; totum corpus tuum tenebroſum erit; quia carebit luce et duce, illuſtratione ſcilicet et directione uiſus. Si ergo lumen oculare, quod in te eſt, id eſt, eſſe debebat, iam offuſcatum, non lumen ſed tenebrae et caecitas ſit; ipſae tenebrae quantae erunt; id eſt, ipſum reliquum corpus, natu-*

ra

ra sua tenebrosum, ac, ut ita dicam, caecum; cum nullum nisi ex oculis lumen habeat; iam oculis suis et luminibus, quasi ducibus destitutum et priuatum, quam tenebrosum erit, quamque in tenebris errabit? Parabolice autem CHRISTVS *per oculum intelligit mentem et sensum internum. Quod enim oculus est corpori, hoc intellectus est animae. Errores quippe et uitia animae in operando nascuntur ex errore et uitio intellectus practici: quod tamen uitium saepe oritur ex inclinatione praua, consuetudine, et affectuum inordinato motu.* h. i Mihi liceat hoc unum addere, quod FRANC. VALLESIVS *de S. Philosophia c.* 84. animaduertendum esse monet, in S. Litteris τὸ ἁπλοῦν *simplex*, in relatione ad hominem, idem esse *ac bonum et lucidum*, τὸ πονηρὸν uero *nequam ac tenebrosum.*



XV.

GEORG. VVOLFG. VVEDEL.

in exercitatt. Medico-Philolog. etc. *Dec.* X. *Exercit.* VII. *p.* 55. *sqq.*

DE

LILIO AGRI.

Matth. VI, 28. *Luc.* XII, 27.

INter alia hieroglyphica, etiam in nummis largiter expreſſa, non minimum eſt ſpei, deſumtum a *lilio*. Vti enim flores in genere illam deſignant, anteambulones ſeminum ac fructuum ſecutorum: ita ſeorſim *lilio* illa eminentia ceſſit, tanquam florum reginae, ut ſub hoc habitu ſpei typus exprimatur concinne et ſolenniter.

Hinc non paucorum Imperatorum nummi, hinc monumenta antiqua alia *ſpem* tanquam *Deam cum lilio manu praetento* exhibent,

Conf. hac de materia Cel. b. D. IO. MICH. LANGII olim in Norimbergenſium academia Altorphina Theol. Prof. Publ. Ord. et V. D. M. poſtea apud Prenslauienſes Inſpectoris meritiſſimi Diſſertat. *Altorphii* A. R. S. CIƆIƆCLXXXXVIIII. 4.

bent, cum inſcriptione: SPEI, uel SPEI PVBLICAE. Hanc enim in nummis aliisque monumentis plaſticis non tam herbam trifolii, ut nonnullis uiſum eſt, quam re uera lilium expreſſum, oportuniori ſymbolo, repraeſentare, ſecus ac aliis uiſum eſt, ἀκριβέστεροι dudum notarunt. Vid. SPANHEM. *diſſ.* II. *de praeſtant. et uſu numiſm. p.* 118. et PIER *Lib.* LV. *hieroglyph. c.* 9. p. 688.

Enimuero gratus color liliorum ſpei amoenitatem praefigurat, et licet breue lilium uiuaci apio contra obſeruetur a FLACCO; eſt tamen inter perennantes plantas praecipua, ut non ſolum quotannis flores nouos parturiat, ſed etiam bulbos ſubinde nouos ſibi foenoret. Quaeque in floribus eſt breuitas; pulcritudine mixta, in radicibus emicat conſtantia.

Neque apud profanos ſolum ſcriptores ſpei hoc ſymbolum ſuſtinet lilium, ſed in ſacris quoque oraculis ipſis. Inſtar omnium ſit LILIVM AGRI, a Saluatore Opt. Max. celebratum, et tanquam lemma ſpei pleniſſimae uberrime propoſitum, quandoquidem arguere uult, uerbis QVINCTILIANI, ſtultam curam eſſe, quae ſpem non habet.

Demonſtraturus Optimus Saluator curam uictus et amictus inutilem, gemino exemplo

reprobam, illam abiectae auis corui, hanc floris excelsi, lilii syluestris, illustrat. Priorem iam non nostram facimus, utut non minori ἐξηγήσει nobilem: alteram uero pro uirili laudabimus, qua de ita uerba sonant *Matth.* VI, 28. sq. καὶ περὶ ἐνδύματος τί μεριμνᾶτε; καταμάθετε τὰ κρίνα τοῦ ἀγροῦ, πῶς αὐξάνει· οὐ κοπιᾷ, οὐ δὲ νήθει· Λέγω δὲ ὑμῖν, ὅτι οὐδὲ Σολομὼν ἐν πάσῃ τῇ δόξῃ αὐτοῦ περιεβάλετο ὡς ἓν τούτων. κ. λ. *Et de uestimento quid solliciti estis? considerate lilia agri, quomodo crescunt: non laborant, neque nent. Dico autem uobis, quod nec Salomon in omni gloria sua coopertus est, sicut unum ex istis.*

Quam herbam, quem florem intelligat, habetur communiter pro satis noto ac comperto. Qui enim nescit lilium, hortorum decus, argenteo candore coruscans, oculos delectans, et huic effato Diuino per omnia quadrans, lunam florum? Huic, inquam, uelut uno ore omnes deferunt hanc gloriam, hanc comparationis ἐξοχὴν, hanc ab ipso Diuino elogio sacratam dignitatem, securi de alia significatione.

Ast licet satis accurate omnia illa in lilium hoc notissimum aptari possint, nec opus uideatur seu Theologis, seu uniuersis adeo Christianis, ad alia digredi incerta, cum sufficere

ſufficere poſſit uel unum ſolum lilii nomen; meretur tamen res ipſa inquiri penitius, et exhauriri fontes curatius, ut ἔμφασιν textus et rei ipſius euidentiam clarius noſſe, palpare et mirari queamus.

Non intelligendum eſſe lilium hortenſe, uulgare et βασιλικὸν, ſeu regium DIOSCORIDI dictum, ob eminentiam, non unis efficitur argumentis. Enimuero non negandum eſt, ὡς ἐν πλάτει, in ambitu illo, ſi lilium, ut genus certum, conſideremus, merito huc et illud pertinere, ſiue tanquam norma, ſiue praecipuum reliquorum ſpectetur, collectiue, ut uocant in ſcholis. Confirmat hoc D. LVCAS XI. τὰ κρίνα reddens, lilia in genere ac indefinite, et optime quidem ad mentem Diuini oraculi, et rei ipſius. Quaelibet herba idem edocet, et oſtendit DEVM, nedum tam elegans, tam culta, tam amoena et e praecipuis una. Quid impedit concipere ita effatum: *Conſiderate lilia, et lilia quidem agri, diſcite a mutis praeceptoribus, a realibus doctoribus, quid uos deceat.*

Hoc ut magis pateat, ſane τὸ κρίνον τοῦ ἀγροῦ, *lilium agri*, ui uocis, nil aliud ſignificat, quam ἄγριον, *ſylueſtre*, ager enim oppoſitus eſt cumprimis urbi, et latius ipſis aruis paret. Euincit idem genius linguae Hebrae-

Hebraeae, et in Sacris uſitata loquendi ratio. Quid enim ſunt beſtiae agri *Dan.* II, 38. et *Pſal.* CIIII, 11. quid herba agri *Dan.* IIII, 12. quid ἄνθος ἀγροῦ, *flos agri*, *Pſalm.* CIII, 15. quam ſylueſtres itidem, beſtiae domeſticis, herbae hortenſibus, incultae hortis urbanis cultis et ordinatis contradiſtinctae?

Accedit locus, indeque occaſio euidens loquendi et demonſtrandi deſumta; concio enim fiebat in monte, remoto ab urbe, culturae omnis experte, ſibi relicto. Neque impedit genus et ſpeciem coniungi, ſibique ſubalternari, ne implicat contradictionem, ſi dixero, ui textus, ecce uolucres coeli, et nominatim uelut digito monſtrem coruum. Alterum enim alterum potius ſupponit, et illuſtrat, utraque concinne comprehenduntur.

Et hoc non difficulter argui poteſt ex ſequentibus quoque et συναφεία orationis, ἓν τούτων, inquit, *unum horum*, non αὐτῶν, adeoque demonſtratiue, quaſi manu prehenſo et decerpto uel oſtenſo obuio flore, aeſtiuo ineunte uel uerno tempore, quando omnia rident, et formoſiſſimus annus eſt; ſaltim definite magis uox τοῦτο omnia ediſſerit, ac exprimit.

Cum

Cum itaque ratum ſit, non innui lilium uulgare, hortenſe, cultura gaudens, ſed ſylueſtre montanum, operae pretium fuerit et de hoc diſpicere. Monemur et incitamur ad hoc ipſo praecepto Diuino: καταμάθετε. Poſtquam de uolucribus coeli, tanquam magis notis dixiſſet: ἐμβλέψατε τὰ πετεινὰ, *aſpicite*, *intuemini*, non eodem uerbo hoc loco utitur, quando de plantis, de liliis ſermo eſt, ſed καταμάθετε, inquit, *diſcite cognoſcere*, *perpendite*.

Proh! quantum hoc eſt encomium botanicae, ſeu rei herbariae! Summus Magiſter ipſe iubet non aſpicere, ſed diſcere, noſſe, et perpendere. Eſt hoc medicorum ſingulare et eminens prae aliis hominibus priuilegium, quod herbas contemplentur, inquirant, diſcant et nouerint, in quo ſtatui primaeuo accedunt propinquius, aliis hominibus omnibus quaſi contra.

Τὰ κρίνα *lilia*, in plurali, ut uocant, ſunt noſcenda, quod ipſum genus plantarum decore quodam et maieſtate prae aliis emicat, iuncta demonſtratione oculari, et lilia ſeorſim ſilueſtria, ſibi relicta, nullo cultu ſata, humectata, curata, ut tanto euidentius diſcant homines, et attendant, quid inculcare uelit, quid inde hauriendum ſit.

Con-

Conſtans eſt ſententia botanicorum, lilium ſylueſtre montanum dici; apud ANAZARBEVM uero, et THEOPHRASTVM ERESIVM occurrit nomen *Hemerocallis*, elegantiſſimo titulo. Neque enim tam breuitatem durationis notat, quam gloriam diei. Vt nocte latent mendae, quod in paroemia eſt, ita et decora, quae luci expoſita ſuperbiunt. Vt Hercules audit quaſi ἀέρος κλέος, *gloria aeris*; ita liceat nobis diei gloriam uertere hemerocallin hanc. GAZA uertit elium apud THEOPHRASTVM, hoc uero ex uoce lilium corruptum eſt, deſumtum ex ſynonymis notis DIOSCORIDIS L. XIII. c. 137.

Non uero aſphodelus hoc nomine uenire poteſt, uel arrogare ſibi illam gloriam, minorum gentium qui exiſtit, ſed *Martagon*, quo de hic quaedam delibare conſultum eſt. Martagonum recens nomen FERRARIVS notat, *horticult. p.* 153. a ruſticis et alchimiſtis ita uocatum, ſecundum *Anguillaram*, *p.* 155. ſua lingua, Italica uult dicere, AMATO LVSITANO *enarr.* CXIIII. *p.* 360. quod liliis ſylueſtribus, ſiue montanis, adeoque et peregrinis liliis aetas recentior impoſuit. Confer. FERRARIVS *ibid. p.* 318.

Hoc ergo intellectum et tantum non monſtratum eſſe euincitur ab obiecto magis

obuio.

obuio. Quid opus fuerat, prouocare ad lilia in hortis culta, cum in agro uerſeris, uel montanis? adiuncto inprimis epitheto diſtinctiuo, τῦ ἄγρυ, inſinuata tacite cultura neglecta, tanquam ratione decidendi, et proprio ſplendore commendato, qui non minor eſt quam liliorum, immo cum illis certare poteſt, adeoque et elegantia.

Lilium eſt martagon bulbo, floribus, licet intortis, charactere, lilium ſylueſtre. Et noſtrum quidem ipſummet lilium purpureum flore reflexo, montanum, martagon dictum, abunde in montibus noſtris uiſendum, ſufficere poteſt; aſt, ſi differentias et ſpecies attendamus, elegantiſſimas, ulterius uidemur progredi poſſe et penitius exquirere. Hemerocallis in Syria copioſe creſcit, inprimis flore albo, teſte RAVVVOLFIO.

Inſtar omnium ſit martagon Chalcedonicum flore miniato, quod cymbalum miniatum LAVREMBERGII eſt, lilium Byzantinum. Immo hoc ex Iudaea primitus quaſi aduectum, uel ſaltim ibidem praecipue extare et creſcere in montibus, nomenclatura euidens reddit. Audit enim wilde Lilien von Calvarien IO. BAVHINO, PENAE et LOBELIO, aliisque. Fuerit hoc crinanthemum HIPPOCRATIS I. *de nat. mul. S. 2. t.* 14. quod in domi-

domibus nascitur, puta ex montibus in hortos pensiles insertum, ob pulchritudinem, et quod nullum ex toto censu, ut cum LAVREMBERGIO loquamur, tamdiu immarcidos seruat flores, quam quod miniatum est; *appar. Pl.* 1. L. I. c. 16. p. 88.

Sed uisamus rationem comparationis geminam, elegantiam, et ad prouentum, incrementum, durationem sui ordinis abunde, citra ullam curam, suppetentia media. Sunt qui primo aspectu hoc suspiciendum pulchritudinis artificium non incurrere oculos rentur; sed si quis nouum catoptri genus, quod res minutas ante oculos proxime positas aggrandescere facit, usurpet: et per id contempletur stamina illa exilia, itemque filamenta et fissuras lilii, fatebitur nulla humana lingua illam elegantiam, illud miraculum, efferri et satis praedicari posse. Confer. LAVREMBERG. *l. c. cap.* 14. *p.* 83.

Linquamus hanc praerogatiuam artificiis opticis, satis illa usurpari possunt oculis quorumuis hominum, ut non opus sit microscopio, ideas uisiuas grandiores reddente. Enimuero summa est ut liliorum, ita seorsim syluestrium horum εὐπρέπεια, qua uoce, uti placuit ipsi Spiritui S. Testatur ἐξοχὴν hanc radice, aurei coloris, unde Goldwurz audit

lingua

lingua uernacula, bulboſa illa et liliorum aemula, iisque et hoc nomine anteferenda. Conſurgit ex huius centro caulis ſatis eminens, folia protrudens ſaponariae fere ſimilia, quae orbiculatim caulem ambiunt et cingunt. In faſtigio emicant flores, colore modo niueo, modo croceo, modo miniato, liliorum fere effigie, ſed petalis ſex retroflexis, et minoribus, ſingulis pulcherrimis.

Folia ueſtis ſunt et integumenta plantarum, quia defendunt, tegunt, et, cum motu locali careant, in uicem huius quoque data ſunt. Vnus idemque bulbus noua quotannis ueſte redimitur, folia uelut ueſtis quotidiana, flores feſtiua, ad pompam et ſplendorem faciens ſe offerunt.

Elegantia hic maior eſt, quam ueſtium et integumentorum quorumuis. Suo nitore ſuperbiunt lilia omnia, et ſigillatim ſylueſtre hoc; corporis ille commodatus eſt et alienus. Non unum ſufficit regnum faſtuoſo hominum amictui, uegetabile linum, bombacem, urticam ipſam ſuppeditat; ex animali oues lanam, oſtreae margaritas, et purpuram, ſtruthiocamelus pennas et criſtas, quas erigimus; aurum, argentum, ne uiliora arceſſamus metalla, interſtinctos limbos, cruſtas, decorem: antimonium, mercurius ſua

pigmenta. Et quis omnia illa enumeret? Nil horum desiderat lilium hoc et martagon, nullo eget, uel opus habet, regina florum, agrorum, montium, hortorum; nam his quoque insertum foenerat suum decus.

Quod maius est, martagon symbolum et figuram repraesentat coronae, uel diadematis regii. Quid excelsius est in uita humana, quam corona, seu imperialis, seu regia? Est illa et seorsim sub liliorum classe, et in martagonibus repraesentatur. Superbiant paludamento suo et diademate reges, bysso resplendeant, auro, gemmis, corona coruscant, maximo labore, pretio summo, artificio subtilissimo contextis omnibus ad amussim decoris. His omnibus contra superbit *lilium* hoc, nullus hic affectatus splendor, omnia natiuo nitore refulgent, et sese commendant satis superque.

Non sine caussa hinc relinquit post se multis parasangis hic fulgor maiestatem Salomonis, regum maximi et incomparabilis. Ille coronam gratia parentis, si a DEO discesserimus, acquisitam impetrauerat: *lilium*, etiamsi syluestre, connatam. Ibi ars uariorum hominum ad apparatum concurrit, mutuatitio atque palliatiuo ornatu, aliunde diuersimode petito, quod paroemia cornicis Aeso-

Aeſopicae, alienis plumis ornatae, notum eſt. Hic aurum croceis antheris, hic argentum ſplendore lunari coruſcat, hic punctata pictura, ineffabili ſingula pompa, refulgent nitentque, nullo artis auxilio indiga. Quin ipſi hi flores ornatui inſeruiunt non ſolum inter corollas et ſerta; ſed et ad aliena illa et fucata ſua acceſſione, uel depicta, uel expreſſa fulgidiora reddenda.

Sunt, qui *martagonis* nomen excogitatum a chimicis aſſerunt. Quamuis uero haec gratis dicantur, fatendum tamen eſt, et *martek* et *martagon* nomine appellare eosdem ſuam materiam. Vid. *Theatr. Chim. Argentin. Tom.* I. *p.* 512. Liceat nobis et hoc hieroglyphicum emblema ſublimioris chimiae delibare. Radix autem eminens et bulboſa in martagone nota eſt auri uegetantis et ſeminalis. Album et rubrum, diſtincta tamen, in floribus duplicem finem figurant, metallorum fixiorum et nobiliorum; operantur enim ad utrumque hoc, tincturam albam et rubram longe praeſtantiſſimam. Sex petala, ſex ſtamina aurea antheris coruſca, ſex illos planetas inferiores ♄. ♃. ♂. ☉em, ♀em, ☽am, plumbum, ſtannum, ferrum, aurum, aes, argentum, referunt exacte. Haec omnia et ſingula ſuo centro ſtatumina-

ta conſurgunt, mercurius enim Philoſophorum, uelut centrum omnium, omnibus modulum largitur, ceteroquin indifferens, prout tinctura ſeminali, puritate et fixitate diuerſa ſpecificatur.

Sed ut redeamus unde digreſſi ſumus, proh! quantus impenditur labor ad uiliſſimum inueſtigandum hominem, ſi netricum, ſi lotricum, ſi artificum operam aeſtimemus, nedum reliquos honoratiores, nedum regum tabernas, et qui molliori ac delicatiori ueſtitu gaudent. *Lilia non laborant, non nent.* Nullus hic apparatus, nulla fabrica. Succus ſeminalis non eget niſi terrae et aquae hoſpitio, afflatu aeris et excitabulo caloris ſolaris, ſimpliciſſimis omnibus.

Habent enim et plantae, non minus ac homo, ſuum ſuccum nutritium, habent luculam impenſam, a Summo Numine conceſſam, calidi innati ſeu animae uegetatiuae uicem gerentem, quae diffundit ſeſe et exporrigit in uniuerſum corpus, ut non opus ſit uel coeleſtis, uel elementaris naturae dici, niſi hac ratione. Exurgit nihilominus hinc textura mirabilis foliorum, ad typum a Diuino Creatore impreſſum, quae fibris ſuis gaudent motricibus et nutricibus, ſuo elatere, ſuo uiuido uirore. Succedit caulis et faſtigiatur,

tur, *αὐξάνει*, *augetur* in dies, et extuberant flores modo niuei, modo miniati, modo aureo ſplendore coruſci, quod ſeorſim maxime antheris proprium eſt, non ſine ſummo Diuinarum laudum praeconio.

Quamobrem, a minori ad maius concludendo, demonſtratiue infertur: ſi *lilium*, nulla cultura humana aliaue, gaudet ſua uegetatione, incremento, flore, decore, prouidentia, nutu et cura Diuina, quid non de homine ſperandum? Si, inquam, *lilium* ſuperbit collato decore, partibus omnibus et ſingulis, foliis, floribus, petalis, cauliculis, punctis, antheris, capſulis ſeminalibus, quid non promittendum homini, ad imaginem Diuinam facto, cuius et capilli numerati ſunt, nec unus decidit, quod eius fugiat prouidentiam.

Decurrit ſua tempora *lilium*, immotum perſtans, iniuriis uentorum, aeris, coeli beſtiarum expoſitum, immo et deciduum perennat, inuitans merito clariſſimo ſuo exemplo homines, ratione, ſenſu et motu praeditos, ut laborare, ut nere, ut procurare ſibi utilia et neceſſaria poſſint, ut in ſe intuentes pii ſint, confidant benigniſſimo Numini, non *μεμψίμωροι*, ſed *αὐτάρκεις*, per totam uitam degant, a morte etiam perennaturi.

XVI.

IO. IAC. BAIERVS

in animaduers. Physico-Medicis in quaedam loca Noui Foederis D. N. IESV CHRISTI.

p. 21. sqq.

DE

LILIIS AGRI.

Matth. VI, 28. *Luc.* XII, 27.

SVpersederem ego expositioni huius loci, ac remitterem L. B. ad integram de eo *exercitationem VVedelianam* Dec. X. Exercit. VII. tum et ampliorem *dissertationem* edit. Altorphii, A. CIↃIↃCLXXXXVIIII *uiri maxime uenerabilis* D. D. IO. MICH. LANGII, *affinis et compatris*, *et olim collegae mei desideratissimi.* Veruntamen cum fortasse commentationes illae doctissimae in manibus complurium non sint, a me autem, utpote botanices professore publico, requiri utique possit aliqua istius thematis illustratio, huius caussa nonnihil in medium afferre cogor.

Mini-

Minime tamen uniuerſi generis *liliorum* hiſtoriam contexere hic opus aut neceſſe eſt; quandoquidem ſatis fore puto, ſi hoc unum declarauero; *quaenam liliorum ſpecies a S. SALVATORE indigitata, et in exemplum ſplendidiſſimi habitus, ſupra omnem Salomonis gloriam praedicata fuerit?* Hoc autem non adeo expeditum eſt, cum in utroque citato loco generatim ſaltem τὰ κρίνα commemorentur. Ex priori tamen *Matth.* epitheto (τȣ̃ ἀγρȣ̃) ſtatim apparet; quod non ſatiua, ſed ſuae ſpontis nata et *ſylueſtria* indicentur *lilia*. Sed enim uero, ne ſic quidem liquet certa quaedam iſtius generis ſpecies, in tanta multitudine, cum etiam non conſtet, quaenam prae ceteris indigena ibi fuerit, ut a CHRISTO quaſi digitis oſtendi auditorum turbae potuiſſet? Commemorat equidem LEON. RAVVVOLFIVS *Hodoeporic. p. m.* 54. *et icon. num.* 125. unum alterumque *lilium agreſte*, in Syria et Palaeſtina a ſe obſeruatum, ut adeo inter uulgatiores paſſimque obuias plantas et olim extitiſſe conſtet.

Ego autem de certa ſpecie indicanda eo minus laborandum eſſe puto, quo magis exploratum habeo, *unumquodque lilium mereri illam cum ornatu Regio comparationem.* Etenim in ampliſſimo bulboſarum ſtirpium

 genere,

genere, familia *liliorum*, amplitudine ac proceritate nulli cedit; ut recte magnus ille THVANVS *Carmin. a Paullo Renealmo edit. Parif. A.* CIↃIↃCXI. *p.* 21. iudicauerit:

- - - - - - - - - - - omneis procera specie, et uiridanti caudice uincit.

Adde, quod *flores* in fingulis fpeciebus, aut formae, aut coloris elegantia, aut ordinata difpofitione, fingularem exhibeant pulchritudinem.

Quodfi ad *lilium uulgare album* refpiciatur, praeter formofum totius plantae habitum, niueus florum candor, cum infigni fragrantia coniunctus, abunde produnt eius praeftantiam. Si quis praeterea, PETRO LAVREMBERGIO *Apparat. Plant. p.* 83. admonente, *nouum catoptri genus, quod res minutas ante oculos proxime pofitas aggrandefcere facit* (uulgo microfcopium) *ufurpet, ac per id contempletur ftamina illa exilia, itemque filamenta et fiffuras lilii, fatebitur, nulla humana lingua illam elegantiam, illud miraculum efferri ac fatis praedicari poffe.*

Sunt infuper haec, inter *lilia* petalis florum repandis feu reflexis donata (quibus commune nomen *martagon* tribuitur) uariae fpecies elegantiffimae, praefertim illud *Byzantinum,*

num, quod CLVSIVS deſcripſit primus, *cymbalum* uero *minatum* nuncupauit LAVREMBERGIVS, *colorem* ei eſſe perhibens *elegantem minii, aut cerae rubrae recentis, totum ſui ſimilem, ſine omni macula;* cuiusmodi colorem coccineum Regibus ac Imperatoribus quondam in ueſtitu familiarem et quaſi proprium fuiſſe conſtat, uariisque Scriptorum conquiſitis comprobat EDMVNDVS MERILLIVS *Not. Philolog. in Paſſionem CHRISTI p. m.* 24.

Taceo *coronam Imperialem*, uulgo dictam, non unius differentiae plantam, maxime affinem *lilio*, quam Turcae appellant *Touſai* uel *Tuſchai*, quod *lilium Regium* ſignificare teſtatur CLVSIVS. Specioſiſſimam illius formam, et ueluti maieſtatem quandam, cum hodie inter frequentiores hortorum incolas occurrat, exaggerare uerbis ſuperuacuum duco, ſed tantum ſententiae LAVREMBERGII ſubſcribo: *Poſſet hic flos, ſpecie, magnificentia et admirabili pulchritudine ceteris omnibus palmam praeripere; absque odore ingrato ſi eſſet, qui totam hanc plantam collutulat, et dignitatem reddit obſcuriorem.* Veruntamen iſta foetoris obſeruatio eſt omnino extra *tertium comparationis*, a CHRISTO inſtitutae.

XVII.

IO. IAC. BAIERVS

in animaduerſ. Phyſico-Medicis in quaedam loca Noui Foederis D. N. IESV CHRISTI.

p. 24. ſqq.

DE

SPINIS AC TRIBVLIS.

Matth. VII, 16. *Luc.* VI, 44.

CVm paſſim in *Sacris Litteris* commemorentur duo iſta ſtirpium genera, τῶν ἀκανθῶν καὶ τριβόλων, tanquam inutiles hominibus, quin et in horum moleſtiam et agriculturae incommodum ſuccreſcentes plantae, non erit alienum, ſi de iisdem breuis inſtituatur quaeſtio; *num genera, an certae ſaltem ſpecies nominibus illis deſignentur?* Quod ſi Graecorum ueterum, inprimis THEOPHRASTI *Lib.* IIII. *Hiſt. Plantarum cap.* 3. *ſqq.* monumenta litterarum euoluantur, ἡ ἄκανθος, uel ἄκανθα, *genus* quoddam ſpinoſarum ſtirpium ſignificat, cuius diuerſae nec paucae ſunt ſpecies, quarum una prae ceteris diſtincte intelligi nequit, niſi per *epitheton* ſpeciatim declaretur, e. g. *leucacantha*,

cantha, *oxyacantha*, *pyracantha etc.* quarum omnium deſcriptiones luculentae a Botanicis traduntur.

Ceterum de aliquibus eius generis ſpeciebus, quando de *Corona CHRISTI ſpinea* nobis agendum erit, plura forſitan edisseremus. Interea hoc habemus compertum, τῶν ἀκανθῶν uocabulo cumprimis quidem *fruticoſas ſtirpes*, partim uero etiam quasdam *herbas*, quarum caulas, rami, folia, non aeque fructus, aut ſaltem hi non ſoli *ſpinis* ſiue *aculeis* obſidentur, generatim notari.

Alia uero eſt τῶν τριβόλων conditio, ad *fructum ſolum* habendo reſpectu, manifeſto ſatis etymo, quod τρεῖς βολὰς, *tres cuſpides* habeat; quamuis hoc reapſe in ſpeciebus cognitis hactenus neutiquam obſeruetur. Diſtinguunt Botanici communiter *tribulum* in *terreſtrem* et *aquaticum*: huius unica extat ſpecies, noſtratibus Stachel-Nüſſe, oder Waſſer-Nüſſe nuncupata. Ipſi ordinarie *quatuor* ſunt *aculei* craſſi, ad inſtar *muricum* appoſiti pericarpio ſeu cortici nucleum includenti. *Terreſtris* autem *tribuli* quatuor a IOSEPHO PITTONE TOVRNEFORTIO * enumeran-

* in ſplendidiſſimis rei herbariae inſtitutionibus, quarum editio altera, Gallica longe auctior, quingentis circiter tabulis aeneis adornata tribus tomis, Pariſiis; ex typographia Regia, CIↃIↃCC. 4. edit.

merantur ſpecies, quarum uulgatior *ciceris folio, fructu aculeato*, cognominata, ſatis eleganter delineatur a MATTHIOLO *in editionibus herbarii, grandioribus iconibus illuſtrati Patau. et Prag.*; characterem uero inter plantas anomalas, ipſi RAIVS *Method. Plant. emend. p.* 130. adiudicat flores pentapetalos, fructus muricatos, e quinque uelut triangularibus partibus compoſitos, quarum cuſpides in centro concurrunt, reliqui anguli in longam et acutam ſpinam exeunt.

Sicut autem de *plantis* ferme quibuslibet *ſpinoſis*, quoad caules, folia et ramos, abunde conſtat, parum commodare hominibus ad eſum, ut neque *uuis* neque *ficubus* ſimile quid hinc liceat colligere; ita quod illius generis luxuries agriculturae multum officiat, plus ſane notum eſt, quam ut noſtra indigeat demonſtratione. Huc pertinet, in *Euangeliis* ex ore CHRISTI annotata *parabola de ſemine, quod inter ſpinas cadens, his enatis ſuffocatur*. Aſt enim uero de *tribulis* idem non adeo perſpectum eſt, ſaltem de *aquaticis*; qui quemadmodum frugibus terrae et agrorum foecunditati, propter inſtinctum plane natalem locum ſuum, impedi-

mento

mento esse nequeunt, ita *nucleos* suppeditant *esculentos*, a castaneis non multum discrepantes, quin et panificio idoneos; ueruntamen de his nec in praesenti, quem dilucidamus, nec in ullo alio *S. Scripturae* loco, sermonem esse, quilibet non plane stupidus facile intelligit; quamuis etiam qualiscunque istorum nucleorum materia, ad suauitatem *uuarum* aut *ficuum* comparari haut mereatur. De *tribulo* autem *terrestri*, quod in Syria luxuriet, testimonio RAVVVOLFII l. c. p. 55. ubi ab incolis *Hasek* appellari refert, satis constat; PETRVS BELLONIVS *Obseruat. Lib.* I. *cap.* 18. uero eundem tribulum obseruauit *agris maxime noxium, praesertim leguminibus*; unde clare Diuinae sententiae grauitas *Genes.* III, 18., quando in poenam peccati denuntiauit *Adamo*, *terram spinas et tribulos sibi germinaturam*; quorum scilicet prouentu non modo satae ac desideratae fruges opprimerentur, sed et agricolarum atque messorum corpora, inprimis pedes non minus laederentur, quam istis ferreis machinulis, quae dolose in terram aduersus hostes coniici solent, atque ob similitudinem quandam *murices* aut *tribuli* dicuntur.

Paucis animaduertere placet, quod S. LVCAS, in loco parallelo, τᾶ βάτᾶ uocabulum

lum posuerit pro *tribulo*, quod omnino aliquid specie diuersum designat, uidelicet *rubum*; tametsi et hic *aliquod genus* constituat, pridem dictante THEOPHRASTO *Lib.* III. *cap.* 18., exemplis uulgo quoque notis *rubi idaei*, *syluestris*, *cynosbati* etc. quorum tamen nullius, quantumuis Medicinae et esui etiam apti fructus, ad delicatam *uuarum* atque *ficuum* naturam accedunt.

XVIII.

IO. IAC. BAIERVS

in animaduers. Physico-Medicis in quaedam loca Noui Foederis D. N. IESV CHRISTI. p. 26. sqq.

DE LEPRA.

Matth. VIII, 2. *Luc.* XVII, 12. *etc.*

NVllum morbi genus in *Sacro Codice* pluribus circumstantiis atque exemplis memora-

moratum legitur, quam *lepra*, et uix ullum ſaepius miraculoſe immiſſum atque ſanatum deprehenditur. De *uera* autem eius *eſſentia*, et ab aliis humani corporis affectibus *differentia*, magnus eſt inter Medicos ſcriptores diſſenſus. Plerique in eo quidem conueniunt, quod ſi non genuina ſpecies, attamen prope *cognatum ſit ſcabiei malum:* cum interim *lepram* et *elephantiaſin Graecorum et Arabum*, inter ſe conferendo ac diſtinguendo, *lepram*que in S. Litteris notatam, ad hoc aut illud genus referendo, rem omnem turbent atque confundant.

Vt autem uera ſpecialis ratio iſtius *Iudaeorum leprae* declarari queat, ſuppoſito prius hoc, (non facile a quoquam nobis denegando) *quod idem ſit ſpecie morbus, qui et in Veteri et Nouo Teſtamento* λέπρα *nominatur;* cum etiam LXX. Interpretes eodem ubique utantur uocabulo; ad ſequentia per *Moyſen Leuitic.* XIII. diuinitus indicata *ſigna leprae uerae diagnoſtica, et quaſi pathognomonica* praecipue attendendum eſſe arbitror: I.) ad *colorem*, tam cutis quam pilorum, in album p. n. mutatum: II.) ad *profundiorem* ſeu *humiliorem* redditam loci affecti ſuperficiem: III.) ad *incrementum*, quod ſubinde *latius ſerpendo*, malum capit. Haec igitur *tria*

ſimul

simul comprehensa, *lepram perfectam*, ex oraculo diuino produnt.

Secundum has conditiones, uti par est, considerata *Iudaeorum lepra*, non uideo, qua ratione possit referri ad *lepram*, siue *Arabum* siue *Graecorum*, siue etiam ad *Elephantiasin* utrorumlibet, uti sane quiuis, auctores illos ueteres, tam Graecos quam Arabes siue Mauritanos, citra praeiudicium, et accurate inspecturus facile mecum obseruabit. Nolo iam descendere in illam disputationem, *quousque conueniant aut discrepent lepra Graecorum et elephantiasis Arabum?* hoc tamen non uereor asserere, quod affectus ab utrisque descripti *leprae* nomine, unum aut alterum in *Iudaeorum lepra* notatum phaenomenon excludant, et contraria quaedam alia adiungant, e. g. *tumorem partis affectae*, et *colorem ab albo diuersum*. Quapropter uero simile est, *quod malum peculiare et quasi endemium fuerit Iudaeis*, *ac uicinis forte quibusdam gentibus ista lepra*, cuius notas adeo clare designauit *Moyses*; quamuis ipsa hoc fortasse habuerit commune cum *lepra*, siue Graecis siue Arabibus dicta, quod latius serpendo se diffuderit, et affectam cutem in squamas resoluerit, formato sic uocabulo ἀπὸ τῶν λεπίδων (*a squamis*) unde τὸ λεπρύνεσθαι,

νεᾶσαι, quod ſignificat *ſcabrum fieri et ſimul albeſcere*; quemadmodum hoc uerbum, NICANDRO de quibusdam ſerpentibus uſitatum interpretatur IO. GORRAEVS Schol. in *Nicand.* Theriac. p. 77. et 82.

Quodſi ergo *lepram* iſtam *Iudaeorum* ad aliquam ſpeciem cutaneorum affectuum a Medicis antiquis deſignatorum reducere uelimus aut debeamus, uix alia occurrit conuenientior, quam *uitiligo alba* CELSI *Lib.* V. *c.* 28. §. 19. Graece λεύκη dicta, quae ab ipſo graphice deſcribitur, *quod habeat quiddam ſimile alpho, ſed magis albida ſit, et altius deſcendat, in eaque albi pili ſint, et lanugini ſimiles, praeterea ſerpat, in aliis celerius, in aliis tardius; quod non facile dimittat, quam occupauit.* Neſcio ſane numquid congruentius ad deſcriptionem *leprae* Biblicam afferri queat? praeſertim cum et idem CELSVS de *uitiligine* iſta pronuntiet, *quod foeda ſit, et ex mali corporis habitu fiat.* In eandem ſententiam nobis praeiuit VOGLERVS *p.* 105. *ſq.*, tametſi luculentum iſtum CELSI locum haud animaduerterit, ſed tantum ad ANDREAM CAESALPINVM *Specul. Artis Med. Lib.* IIII, *c.* 15. ſimiliter ſtatuentem prouocauerit.

Non exiguum pondus opinioni huic

 addit,

addit, quod ARNOBIVS (qui ſub finem tertii poſt N. C. ſaeculi floruiſſe fertur) dum miraculoſas CHRISTI therapeias recenſet, nusquam *leprae* uocabulo, utpote non Latino utatur, ſed *uitiligines* eius loco ter minimum proponat *Lib.* I. *aduerſus Gentes has foedas, earumque albicantium notas, manu admota deterſiſſe* CHRISTVM, expreſſis uerbis pronuntiet; in cuius teſtimonii praeclari notitiam HIERON. MERCVRIALIS *de morbis cutan. Lib.* II. *c.* 5. lectione (qui et ipſe eſt ὁμόψηφος) me peruenisſe fateor.

Ceterum ut alii complures morbi ſuos habent magnitudinis ac uehementiae gradus, ita ſeorſum circa *lepram Iudaeorum* idem uſu ueniſſe ex *S. Litteris* abunde patet. Ac licet *chronicum* communiter *malum* extiterit, ſenſim inualeſcens, nec uelociter occidens homines; interdum tamen *ſubito* emerſiſſe et uiolenter tractaſſe, quos occupauit, exemplo *Mariae, ſororis Moyſis*, conſtat, in quam ex ira furoris Domini *lepra* inuadens, adeo ſaeuiit, ut intra breuiſſimum tempus, *dimidium carnium eius abſumſiſſe* iam appareret. Conſimili celeritate occupauit *lepra famulum Eliſaei Prophetae*, ut et *Regem Iudae Vſiam*; qui tamen caſus, quoad originem et cauſſam, plane ſupra naturam contigerunt. Et ſane

in

in uniuerſum *lepra Iudaeorum*; ſi quae in *Bibliis* de eadem commemorata ſunt, accurate perpendantur, non pauca ſingularia, ſed ab aliorum morborum more admodum diuerſa habuiſſe uidetur: quo pertinet inprimis *illa ueſtimentorum quoque et aedium inquinatio uiſibilis*, in eiusmodi rebus, quae uita carent, aliquid uiui, ſerpendo ac corrodendo repraeſentans, cui ſimile, et quidem *endemium* alicui regioni malum, a Medicis aliisue ſcriptoribus notatum non legitur. Quare non dubitamus cum VOGLERO ſuſpicari, *quod fortaſſe Diuini quippiam, et a ſupernaturalibus cauſſis profectum hic ſubfuerit*; praeſertim cum nec apud alias gentes unquam, nec poſtea, aut hodie in illis terris idem amplius ſit obſeruatum.

Sed ad *humanorum corporum lepram* ut reuertar, ſicut illam in *Sacris* occurrentem, ad λέυκην Graecorum, *ſeu uitiliginem albam* Latinorum, quam proxime accedere, quin eundem prorſus affectum eſſe oſtendimus, ita nec alienum quoque putamus *Albaram albam Ebnſinae* (uulgo *Auicennae*) qui notas ei attribuit *Lib.* IIII. *Fen.* 7. *tract.* II. *c.* 9. *quod albi ſuper eam naſcantur pili, cutis ſit magis depreſſa, et uehementius defoſſa, quam cutis reliqui corporis; quod etiam non tantum*

in cute subsistat, uerum etiam in carne, usque ad os ; si nempe consummatum sit malum; cuiusmodi aliquando me uidisse recordor in milite, cum nosodochii castrensis, in uicinia *Norimbergensi* a Praepotent. *circuli Franconici Ordinibus* constituti praefecturam sustinerem. Istius autem mali aestimationem, et *utrum sanabile sit an non ?* experimento colligi CELSVS edocet, *quod nempe incidi cutis debeat, aut acu pungi; si sanguis exeat, quod in alpho et in nigra uitiligine soleat fieri, remedio locum esse; si humor albidus* (sicut in *leuce*) *sanari non posse; itaque ab hoc abstinendum esse.*

Sed non abstinuit a curatione ὁ Θεάνθρωπος Omnipotens, cui nullum morbi genus inexuperabile fuit: hinc *unum leprosum* benigno contactu; alia occasione *decem leprosos* simul, solo uerbo suo mundauit, atque confestim liberauit a morbo, humanis uiribus, aut plane non sanabili, aut certe non nisi longo tempore multisque remediis difficulter auferendo.

Paucis adhuc attingo opinionem illam, haut nuper quidem, teste IO. MANARDO *Epistol. Medicinal. Lib.* VII, 2. exortam, et in hunc usque diem ab aliquibus propagatam; *uid. b.* D. VVEDELII *Cent.* II. *Dec.* IIII. *Exer-*

Exercitat. VIIII. *quod lepra Judaeorum et lues uenerea, uulgo dicta, ſint unus idemque morbus.* At enim uero ſi praecipua iſtius luis, ſiue concubitu impuro, ſiue alio contagionis modo contractae phaenomena, lippis etiam et tonſoribus nota, cum iſtis e *S. Codice* adductis *leprae notis* praecipuis conferantur, ingens apparebit differentia. Praeterquam enim quod in toto *capite* XIII. *Leuitici* nullum omnino in uerendis concurrens uitium commemoretur, et in ſequenti *capite* XV, de *gonorrhœa uirorum*, tanquam diſtinctio a *lepra* affectu tractetur, atque huius cauſſa peculiares praeſcribantur leges, ordinaria luis uenereae, ſeu morbi Gallici ſymptomata, quae extra partes genitales, primario comuniter affectas, in aliis locis erumpunt, toto quaſi coelo diſcrepant a declaratis *leprae Iudaeorum* notis; dum loco praeternaturalis albedinis ac depreſſionis in cute, tumores liuidi aut diſcolores, duri, dolentes, in ulcera ſaepe profunda abeuntes obſeruantur; ut propterea parum aut nihil commune exhibeat (ſaltem externo habitu) cum *lepra Iudaeorum.* Quatenus autem iſta lues cum *elephantiaſi Graecorum* conueniat, non eſt praeſentis inſtituti decernere.

XVIIII.

GEORG. VVOLFG. VVEDEL.

in exercitatt. Medico-Philolog. etc.
Dec. V. *Exercit.* II.
p. 6. *sqq.*

DE

PARALYSI TORQVENTE.

Matth. VIII, 6. *Luc.* VII, 2.

QVod ARISTOPHANES, comicorum Graecorum lepidissimus canit: ἀνθρώποισι νουσήματα ἅπαντα ἐστιν, *hominibus morbi omnibus sunt*, id longe quidem uerissimum est; non minus uero et alterum, omnibus morbis sua sunt remedia. Datur omnium morborum panacea, si non humana ope, non corporis, non in terris, impetranda tamen e coelo, a Saluatore, medico uero et θεανθρώπῳ. Sanauit desperatos, sanauit gratis, miraculose, et hoc quoque charactere se demonstrauit Messiam.

Inter hos si non grauissimis, e praecipuis omnino fuit *paralysis* βασανίζουσα, *torquens* et crucians, descripta historia *Matth.* VIII, 6. seruo centurionis hac ipsa decumbente, eoque nomine rogata Diuina ope.

Para-

Paralyſis ille morbus eſt Medicis, quando motus eſt ablatus, ſiue integro ſenſu relicto partium affectarum, ſeu eodem quoque amiſſo, qui gradus paullo maior eſt. Et motus quidem, noſtro effato, ſecundus, ſaluo primo, qui ſanguini debetur, et uitalis audit, ut aliter ille animalis, προαιρετικὸς, *uoluntarius*, quando ad nútum omnes motus ſpecies exercemus, imperatas a mente, ſeu contrahere uelimus membrum, ſeu extendere, ſeu transferre, ſeu tenſum manere, qui motus tonicus dictus reliquis omnibus ſuo modo eſt communis.

Exercent eundem muſculi, tanquam corporis remiges, eorumque fibrae nerueae, materia ſubtili et elaſtica ſpirituum momentaneo motu in neruos uibrata, e neruis in muſculos, e muſculis in tendines, e tendinibus in oſſa et articulos. Singula haec ceſſant in *paralyſi*, nec manus, nec pes, uel alia quaeuis pars ita affecta facit officium, non impellitur, non mouetur, flacceſcit, frigeſit, areſcit, uel tumet etiam, utrumuis ſuis de cauſſis.

Hic uero praeſenti caſu expreſſus affectus non erat *paralyſis* ſibi relicta, ſimplex, uulgaris, qualis uel ſequenti capite ſcriptoris authentici, uel in uita Saluatoris alibi occur-

rit. Recenſentur enim circumſtantiae aliae, quae id euincunt; non unus motus ceſſabat, ut in aliis, non ſenſus, adaucto malo, uerum diuerſa erat ſpecies et ſingularis.

Sed attendamus haec momenta paullo curatius. Generalius fuerit, quod ἀσθενὴς fuiſſe ſcribitur, *Luc.* VII, 2. *infirmus, debilis*, quamuis et hoc epitheton primaria emphaſi de *paralyticis* Nou. Teſtam. uideas praedicari; quod item κακῶς ἔχων, *male habens*, *ibid.* haec enim communia ſunt cum morbis aliis, in primis grauioribus. Preſſius liquet, qualis et quanta habenda, quando *Matthaei l. c. commate* 6. dicitur aeger δεινῶς βασανιζόμενος, *grauiter tortus*, et apud *Lucam loco citato u.* 2. ἤμελλε τελευτᾶν, *moriturus, morti proximus.* Vtraque haec ſatis accurate deſcribunt morbum, et quid in receſſu habuerit, innuunt.

Τὸ βασανίζειν *torturam* denotat, quali pro exploranda ac inquirenda ueritate, in iudiciis utuntur, duo importans, tenſionem, das dehnen, ſpannen, peinigen, et inde conſurgentem dolorem, qui tortor eſt eximius, et ab interna quoque cauſſa, accenſis facibus, eiusdem ſatis atrox et crudelis carnifex. Addita uox δεινῶς gradum uehementiae exprimit, non aliter ac ICti, in irroganda tortura,

tura, certis terminis definiunt, quousque, proportione delicti uel circumstantiarum habita, sit exequenda.

Enimuero *paralysis* ordinario statu tantum abest, ut dolorem habeat comitem, uel tensionem, ut potius natura sua utrumque excludat. Non intenditur enim sensus, uel exprimitur, (uti dolorem sensum expressum nominare solemus,) in *paralysi*, sed nisi aboletur penitus, saltim imminuitur. Hinc torpor, stupor, et ἀναισθησία sunt prodromus paralyseos, et comites; hinc contra ea dolor in *paralyticis* signum est bonum, quod saepius uidimus.

Curatus olim a nobis, primo praxeos initae anno, singulari DEI gratia, adolescens XVI. annorum paralyticus, qui nullius partis infra caput positae usura gaudens, praeterquam duorum digitorum leui sensu et motu, miserrimo spectaculo per integrum biennium decubuerat; is quoties dolorem sentiebat in hac uel illa parte, bono omine id fiebat, breui post redeunte sensu et motu, donec post sex menses integre restitueretur, etiamnum superstes.

Immo ideo dicitur *paralysis*, a resoluendo, quod membra sint resoluta, flaccida, omnis tensionis, ad motum necessariae, ex-

pertia, cui λύσει opposita est τάσις *tensio*, qualis in conuulsionibus occurrit. Nec *paralysis* praesentaneam infert noxam, sed moram patitur, malum chronicum per menses et annos durans, qualis etiam XXXVIII annorum *Io.* V, describitur curata itidem. Accidit eadem apoplexiae medii generis, ubi *hemiplegia* audit, resoluto alterutro latere, secundaria magis. Non raro uero obseruatur, et primaria, citra illam, aliumue morbum praeuium.

Attamen nec pro insolita absolute et supernaturali habenda fuerit nostra haec, cum ut monstra dantur in medicina, ita et in *paralysi* eadem occurrant. Vtut enim tortor summus daemon morbis βασανιστοῖς, *torquentibus*, inquietis, conuulsiuis se immisceat facile, et exempla talia in Sacris obuia sint non pauca; non temere tamen ad illa descendimus, dum sufficit naturalis caussa, nec stringens argumentum in textu id cogit statuere. Sufficit insolitam fuisse secundum quid, eoque maiorem morbum, quo magis insolitus, aestimandum.

E quibus porro efficitur, fuisse eandem *uniuersalem*, et quidem proprie sic dictam, cum latius sumendo et hemiplegia quandoque ita audiat; particularis enim, uni soli

parti

parti inhaerens, non intulerit ſymptomata laudatis notis congrua. Talem inter alios uidimus in candidato quodam iuris, olim in capite non leuiter uulnerato, capite integerrimo, uniuerſo reliquo corpore paralytico, uiſo, miſerrimo itidem ſpectaculo, letali cum euentu. Eo enim caſu, principium neruorum magis affectum eſt, nec in inſertione, ſed in origine radix mali haeret.

Fuit eadem chronica, ſed *acuta*, acutorum more ſe habens, uelocia, magnitudine, periculo; fuit *urgens* et *grauiſſima*, non patiens moram, ſed breui fatalem illatura horam. Non acuta eſt paralyſis per ſe, ab adiunctis uero accidentibus et circumſtantiis talis reddi poteſt, ſeu acutorum inſtar comes accedat alius, ſeu νέκρωσις parti inferatur, quod uidimus in paralytico ſtudioſo, cui tum ob ambuſtionem pedum improuidam, tum ob compreſſionem et decubitum ulcera enaſcebantur foetorem morticinum ſpirantia, quamuis dilata a praeſidiis generoſis morte, donec patriis redderetur laribus.

Et maxime omnium fuit paralyſis *torquens*, *ſpaſmodica*, *conuulſiua*. Nullus penitus morbus βασανισμὸν ſeu torturam tam accurate exprimit, quam conuulſio. Spaſmus enim fit tenſione partium conſtanti, dolori-

fica;

fica: torquet tenditque membra, uel particularis flatulenti exemplo, quem crampam uocitemus, nedum uniuerſalis, qui modo in anticam, modo poſticam partem torquet corpus, et dicto pacto diſtendit, modo aequali rigore (retanum apellant medicorum filii,) non inflexum dilacerat.

Infert id textus ipſius curatior conſideratio, conſentit ratio, non abnuit experientia. Omnia nimirum illa, circumſtantiarum loco eruta, medium hunc ſtatum; paralyſin torquentem inferunt, quod altius repetere ſuperſedemus. Nec abſonum eſſe poſſe uel ſuperuenire paralyſi ſpaſmum, uel alternare ac reciprocare adeoque coniungi haec duo ſymptomata.

Poteſt enim mixta cauſſa concurrere, quae partim figat ſpiritus, iisque fixatis neruos reſoluat, partim irritat, exemplo acidi, quod lymphae et ſpiritibus maritatum in poris neruorum obſtructionem ac coagulum, in membranis et fibris irritationem ſufficientem cauſſare poteſt.

Nec obſtat, qua occaſione enatum ſit malum, non patere ſimul, an ex uulnere, cum miles fuerit; an ex cauſſa interna. Vtroque enim modo uiſa eſt paralyſi coniuncta conuulſio. Ante aliquot annos, e uulnere

: uulnere capitis circa ſuturae coronalis dextrum latus neglecto, ſtudioſus paralyticus nterpolatam patiebatur conuulſionem latere iniſtro, breui inde conſequente morte. Exempla plura, ut rem in ſummam contraiamus, collecta e uariis auctoribus legi poſſunt apud MORONVM *Director. Med. Pract.* ›. 342. *ſqq.* Tacemus concurrere ſimul oſſe conatum naturae ultimum, uim morbi, ı ſcorbuto, eminentia ſalium et aliis promoam. Sic et aegrotus decimus tertius *Lib.* I. *pid. t.* 6. dextram manum paralyticam habeoat cum conuulſione.

Cum itaque tantus fuerit morbus, cum nulla humana arte ſanabilis, non niſi Diuina ope ſimul et ſemel, eadem hora, eodem momento, dictum factum curari potuit, idque ab abſente, ex quo abunde maieſtas Diuina Saluatoris Optimi Maximi emicuit.



XX.

XX.

IO. IAC. BAIERVS

in animaduerſ. Phyſico-Medicis in quaedam loca Noui Foederis D. N. IESV CHRISTI.

p. 30. *ſqq.*

DE

PARALYSI.

Matth. VIII, 6. VIIII, 12. *Luc.* V, 18. *Act.* VIIII, 33. etc.

TEmerarium foret, ſi praeſumerem, poſt exquiſitas magnorum inter Medicos Philologorum TH. BARTHOLINI *de Paralyticis N. T.* iter. edit. *Baſil.* CIↃIↃCLXII, et G. VV. VVEDELII *Cent.* I. *Dec. Exercit.* 2. expoſitiones illius morbi, eodemque afflictorum, qui in *S. Litteris* notantur, aliquid ſingulare, nedum melius iſtis in medium afferre. Neque tamen penitus intactam relinquere hanc materiam conſultum uidetur. Quare breuiter ſaltem ac ſummatim non nulla ex Medicorum dogmatibus depromam, quae facere inprimis poterunt ad diſtin-

ctio-

ctionem iustamque aestimationem propositi affectus.

: Latine uertitur ἡ παράλυσις, *resolutio* scilicet, uti CELSVS *Lib.* III. *c.* 26. componit. Accuratior eius *descriptio Brunoniana* Lexic. Med. tit. *Paralysis* habetur, *quod sit motus animalis et tactus in parte quadam* (aut pluribus) *corporis abolitio, uel imminutio uehemens, cum eiusdem quandoque atrophia, pulsu debili, aliisque symptomatibus, prouenięns a partium neruosarum relaxatione, propter deficientem spirituum animalium praesentiam aut actiuitatem, ab intemperie materiali cerebri, uel obstructione neruorum oborta.* Est igitur accurate loquendo *non tam neruorum resolutio dicenda paralysis, quam fibrarum in musculis et membranis, quae sunt partes neruosae, non ipsi nerui;* quod idem admonet beatus D. BRVNO noster.

Placuit haec sane uulgaria in scholis, hic praemittere, ut fundamentum ponerem discernendi *paralysin* a morbis aliis; in quibus itidem imminutus aut abolitus est animalis partium motus, nominatim a *contractura* unius aut plurium membrorum, quae consistit in uitiosa adductione, hinc abbreuiatione aut corrugatione fibrarum, wann die Glieder krumm und zugleich unbeweglich sind: cui

cui opponitur *praeternaturalis diductio uel extensio, cum rigiditate coniuncta:* gestreckt und steif. Prioris generis mulier *συγκύπτουσα Luc.* XIII, 11. de qua suo loco. Vtrinque autem manifestum apparet *a paralysi discrimen*, per contrariam huic penitus, illis *coniunctam rigiditatem.* Differt uero etiam *paralysis ab arthritide, tam uaga quam fixa*, quod in utraque affecta membra moueri aegre aut uix queant, non propter fibrarum motricium *resolutionem*, sed atrocissimum *dolorem;* quamuis interdum hoc cessante relinquatur impotentia quaedam ad mouendum, ast in *rigiditate* consistens.

Ceterum hoc non parum turbat interpretes, rei Medicae ignaros, *quo modo paralyticus centurionis seruus potuerit esse uehementer simul discruciatus*, quando secundum dicta, in definitione, *paralysis* non tantum motus, sed etiam sensus imminutionem aut abolitionem inferat? Veruntamen facilis erit explicatio, si statuatur, *primarium quidem affectum fuisse paralysin, accessisse uero deinceps dolores uerminantes aut formicantes, aut ipsas denique conuulsiones*, a reuertente quodammodo, sed anomalo et impetuoso spirituum influxu: Τὸ βασανίζειν enim, i. e. *torquere;* non unam *cruciatus* designat rationem.

nem. Quod autem *dolores paralyſi ſuperueniant*, id iam pridem, etſi rarius contingens, obſeruauit ARETAEVS *de Morb. diuturn. Lib.* I. *c.* 1. conſentiente etiam CAEL. AVRELIANO, *de Morb. Chron. Lib.* II. *c.* I, quod *dolore atteſtante*, i. e. praeſente uel accedente, interdum exiſtat *paralyſis*. Luculentum ſuppeditat exemplum *Alcimus*, qui memoratur, poſteaquam παρελύθη (*reſolutus eſt*) *occluſo etiam ore* eius, ſeu *aphonia* correptus, μετὰ βασάνου μεγάλης, (*cum tormento magno*) uitam finiiſſe. *Macchab. Lib.* I. c. 9.

Complures hiſtorias, *de paralyſi, uariis doloribus*, quin et *conuulſionibus comitata*, ex Medicis ſcriptoribus collegerunt atque annotarunt MORONVS ac SCHEFFERVS Director. Med. Pract. p. 343. et ſq.; quas ſigillatim hic recenſere nimis foret. Hoc tribus quaſi uerbis addimus, quod per iſtam *complicationem* ordinarie grauior ac periculoſior, quin et *letalis* euadat *paralyſis*; cuiusmodi ſine dubio fuit illa, quae centurionis famulum excruciauit: ἤμελλε γὰρ τελευτᾷν· erat enim moribundus, teſte *Luca* c. VII, 2.

Lubet concludere appoſitis *VVedelianis* uerbis: *Cum itaque tantus fuerit morbus, cum nulla humana arte ſanabilis, non niſi diuina ope, ſimul et ſemel, eadem hora,*

momento, dictum factum, curari potuit, idque ab absente; ex quo abunde Maiestas Diuini SALVATORIS *Optimi Maximi emicuit.*

XXI.

IO. IAC. BAIERVS

in animaduers. Physico-Medicis in quaedam loca Noui Foederis D. N. IESV CHRISTI.

p. 33. *sqq.*

DE

FLETV ET STRIDORE DENTIVM.

Matth. VIII, 12. XIII, 42. 50. XXII, 13. XXV, 30.

Singularis haec est uocabulorum constructio, qualem in S. *litteris* V. T. tum apud profanos auctores Graecos ueteres non facile inuenies. Quo luculentius autem apparet, istam phrasin S. SALVATORI nostro usitatam, et connexionem τοῦ κλαυθμοῦ καὶ τοῦ βρυγμοῦ τῶν ὀδόντων, designare acerbissimos dolores

dolores corporis aeque ac animi, quos ad aeternum ſupplicium tracti percipere debeant, eo magis etiam certum eſt, quod in hac uita maximo cruciatu afflictis accidere quodammodo ſimul iſta queant et ſoleant.

Et τὸν κλαυθμὸν quidem, non tam fletum et lacrymas, quam *uehementem eiulatum et plangorem* ſignificare, quidam Philologi perhibent; Vid. GODOFR. VVEGNERI annotat. in *Matth.* l. c. cuiusmodi *lamentationes* (ut ita dicam,) *ſiccas* h. e. ſine lacrymis, grauiſſima quaeque tormenta et morbos admodum dolorificos ſuſtinentibus familiares eſſe conſtat.

Quod autem ad τὸν βρυγμὸν τῶν ὀδόντων attinet, is hoc loco non quemlibet dentium, ab adductis crebro maxillis excitatum tremorem ac ſtrepitum denotat; qualis, interdum quoque leuior, ab externo aut febrili frigore oboritur; ſed *uiolentam plane colliſionem et attritum*, cuius ſane ſenſu idiomate noſtro melius redditur, das Knirſchen der Zähne, quam das Zähn-Klappen; quemadmodum uerbi βρύκειν ſiue βρύχειν, aut βρύξαι, (unde ὁ βρυγμὸς) emphaſin EROTIANVS edit. *Barth. Euſtachii* p. 29. et 30. ſcite tradidit: ἤγουν βιαίως ἐνερεῖσαι, ὡς ἦχόν τινα γίνεσθαι, τῶν κάτω πρὸς τοὺς ἄνω κρουόντων: h. e. *den-*

tes uiolenter connectere, et inferioribus cum superioribus collisis sonum quendam fieri.

Consona fere sunt τὸ πρίειν καὶ τρίζειν, utpote ex sono rei pariter formata uerba, quorum altero HESYCHIVS illustrat τὸ βρύκειν. Semel id occurrit *Marc.* VIIII, 18. dum inter symptomata miseri hominis, spiritu muto correpti, relatum hoc legitur: τρίζει τοὺς ὀδόντας, *dentibus stridet*; ut adeo τὸν βρυγμὸν optime interpretemur cum CELSO *Lib.* II. c. 6. et 7. *dentium stridorem*, qui est acutus ac penetrans sonus, a uiolenta eorum collisione obortus.

Quam frequenter, in eadem significatione, iisdem uocabulis ac uerbis utatur HIPPOCRATES, e locis bene multis a FOESIO *Oeconom. Hippocr.* p. m. 128. - 29. it. p. 527. notatus intelligere licet; simul uero et hoc e plerisque colligere, malum indicari ualde periculosum mortisque praenuntium; seorsim febribus acutis superueniens, ubi futuram *insaniam* portendit, hac autem iam praesente secuturam *mortem*: *Praenot.* IIII. *it. Coac.* II. 151. Est etenim eiusmodi *stridor dentium* p. n. effectus conuulsionis musculorum maxillas mouentium, qualis conuulsio ab extrema spirituum animalium conturbatione proficiscitur.

Notis-

Notiſſimum eſt praeterea, quod *uehementer irati*, ad furorem uſque, dentibus ſtridere ſoleant; quemadmodum Iudaei impii, ſeueram *S. Stephani* correctionem aegre ferentes. *Act. Apoſtol.* VII, 54. ἔβρυχον τοὺς ὀδόντας ἐπ' αὐτὸν: *ſtridebant dentibus in eum.* Taceo, quod in *Pſalmis* XXXV, 16. XXXVII, 12. CXII, 10. aliquoties occurrens eadem dictio; a LXX. Interpretibus ſimili prorſus modo exponatur.

Quare ſi haec hactenus propoſita ſummatim expendantur, manifeſtum fore puto, ineffabiles damnatorum cruciatus, extrema ſenſuum et animi conturbatione iugiter comitatos, ipſamque adeo deſperationem inferentes, uix ullis aptioribus uerbis adumbrari poſſe, quam τȣ̃ κλαυθμȣ̃ καὶ τȣ̃ βρυγμȣ̃ τῶν ὀδόντων· q. e. d.



XXII.

GEORG. VVOLFG. VVEDEL.

in exercitatt. Medico-Philolog. etc.
Dec. VIII. *Exercit.* IIII.
p. 29. *sqq.*

DE

FEBRI MAGNA.

Matth. VIII, 14. *Marc.* I, 30.
Luc. IIII, 38.

INter alios quamplures morbos, quos suauissimus SALVATOR sanasse et aboleuisse legitur, est quoque omnium maximus, FEBRIS. Cum enim et haec inter praecipuos numeretur *Deut.* XXVIII, 22. quibus iratus DEVS affligere minatus est humanum genus, noluit et in hoc deesse, sed gloriae Diuinae partem etiam hac specie exerere. Sanauit et acutos, et chronicos, illos periculo, hos taedio graues, utrosque desperatos ac molestissimos.

Vt

Vt uero ſinguli expendi merentur, nec negligendi ſunt, quibus manifeſtauit maieſtatem ſuam; ita nec haec, quamuis id primo intuitu et obiter legentibus uideatur iam ſatis notum. Quid enim eſt notius febribus, quibus tertia pars hominum moritur? Eſt in notis quoque quod mireris, quod diſquiri fas eſt, immo ſaepe magis longe, ac in ignotis, obſcurioribus, incognitis.

Caſus hic eſt: PETRI *Apoſtoli* ſocrus decumbebat febri. Intrat domum non caſu, ſed conſulto et ſanitatem laturus SALVATOR. Adſtantes occaſionem hanc non tam arripiunt, quam adacti, urgente morbo, intercedunt, rogantes, ut manum afferret medicam miſertus aegrotae. Expromta opera praeſto eſt, contingit aegram, et uerbo ſanat, ut uelut nullo morbo correpta, uiribus integris lectum relinqueret, et SERVATORI ſuo miniſtraret. Deſcribitur idem *Matth.* VIII, 14. *Marc.* I, 30. et *Luc.* IIII, 38.

Hos inter omnium exactiſſime et terminis medicis ipſis magis rem omnem exprimit D. LVCAS, utpote curioſius alias circumſtantias delibans, et artis ipſe gnarus, cuius potiſſimum hinc artificium in diſquiſi-

tione ſequemur. Morbus aſſignatur *πυρετὸς*, *febris*, *ἀπὸ τοῦ πυρὸς* dictus, *ab igne*, quod calor natiuus, motui placido et texturae humorum uitalium congruae debitus, gradu ſuperaddito et adſcito praeternaturali actionibus ſecundum naturam non uelificetur, ſed peregrinus redditus deſaeuiat, et hinc inde corpus uniuerſum male habeat.

Hoc ipſum ueluti genus latius patens preſſius deſcribitur, addito epitheto, *πυρετῷ μεγάλῳ*, *febri maligna*. Eſt hoc ſolenne praeceptum apud medicos, ut probe diſtinguantur morbi, eorumque gradus, ſeu, ut COVS definit, *μεγεθος αὐτῶν μέγα, καὶ οὐ μέγα*, *magnitudo ipſorum magna, et non magna, L. de alim. c. 5. t. 6.* Enimuero magnus ſaepe eſt morbus apparens, non re uera talis, et contra ea paruus eſſe uiſus, re uera tamen magnus. Magnus alius mole, alius uirtute, alius ad ſenſum, alius profundiori receſſu magis, quam primo intuitu.

Idem hic tenendum eſt, non intelligi febrim magnam, niſi re uera talem, pro ſtatu praeſentis morbi facto iudicio. Quo

de

de iterum COVS: μέγα δ' ἐν ἅπασι τὰ καὶ ἑξῆς, καὶ ἐν ᾧ χρόνῳ, καὶ ἐφ' οἷσι, ὅλως οἷσι. *Magnum autem in omnibus, id quod et consequenter fit, et in quo tempore, et in quibus*: ita enim rectius magnitudo haec definitur, ex *L.* II. *epid. s.* 3. *t.* 38.

Si febrim dixeris, facile iam intelligitur morbi status; sin magnam, nouus isque genuinus conceptus oritur status penitioris. Id uero ut magis pateat, uox συνεχομένη non parum confert. Febris συνεχὴς continens et continua est, quae uno tractu uel quasi perdurat, et hac uoce simul innuitur. Frustra sunt, qui κατεχομένη legunt, quo quidem sine dubio ad marginem adscripto uocabulo παραφράζειν et explicare uoluit quispiam, tanquam notiori, unde, ut fit, idem inter uarias lectiones hinc adscitum ac relatum fuit. Fateri philologi necessum habent, plenius significara hoc uerbum uniuersum rei statum, quam κρατεῖσθαι, καὶ ἔχεσθαι, i. e. *detineri, haberi a febri.*

Ita enim συνεχομένη uox maxime emphatica notat ueluti circumsessam, constrictam, urgenter, cum συνοχῇ καρδίας, cum angu-

ſtiis, anxietate cordis, argumento II. *Cor.* II, 7. cum reſpiratione ſublimi ac difficili, cum inquietudine, iactitatione, aliisque notis ac ſymptomatibus, iſtis caſibus toto die obuiis, mali moris, et ominis.

Omnia illa magnitudinis titulus adiectus optime determinat. Magnum enim omne illud dicit, quod alias de hiſce febribus praedicari conſueuit, ſeu uehemens dicatur, ſeu ἰσχυρὸς, *fortis*, quod ſaepius in ſcriptis Hippocraticis occurrit, ſeu ὀξὺς *acuta*, et quae alia hoc nomine in uſu ſunt. Non poſſumus, quin iterum audiamus diuinum ſenem: εἰσὶ δὲ, inquientem, *ὀξύταται μὲν καὶ μέγισται, καὶ χαλεπόταται νοῦσοι καὶ θανατωδέσταται ἐν τῷ συνεχεῖ πυρετῷ. Sunt autem acutiſſimi et maximi ac grauiſſimi morbi et maxime letales in continua febri. L. I. epid. ſ.* 3. *t.* 16.

Fuerit itaque *febris haec magna* non ex intermittentibus aliqua, quam et ipſam tamen, potiſſimum quartanam, tollere non exigui momenti res eſt, decumbebat enim penitus, neque iis *τοῦ μεγάλου* character aeque quadrat. Febris quartana, quod dici ſolet, non facit ſonare campanam, ſeu elogio

gio 4. *aphorism.* 43. febris quocunque modo intermiserit, periculum abesse significat. Non magna κατ' ἐξοχὴν, seu omnium febrium malignarum apex et uenenosissima pestis, priuatum enim recensetur malum, non publica strage depopulans. Sed continua, quae, uerbis GALENI, ad ἀπυρεξίαν, antequam ex toto soluatur, non desinit; continua, inquam, ardens, grauissima, ad mortem terminanda, si citra has suppetias, tanquam ἀπὸ μηχανῆς, quod itidem dici solet, fuisset, unde necessitate adacti instabant precibus.

Magna erat omnibus momentis, quibus apud medicos metiri solent magnitudinem morbi. Magna ratione essentiae, seu generis, intemperies summa, urgebatur, flammante ardore, totum corpus, aridae fauces, turbatum caput, squalentes partes singulae et exustae. Magna quoad gradus ipsos, et maiorem recessum a statu naturali, iamiam ultra aequatorem naturae tendens ad internecionem. Magna ob partem affectam principalem, seu cor ipsum reputes, caloris natiui fontem, quem subruere morbus satagebat, seu uniuersam massam sanguineam, eius-

que

que texturam turbatam. Magna ob *κακοήθειαν malum morem, malignitatem*, diſſoluendis uinculis uitalibus, lympha incocta ſanguini, nec hoc ualente amplius praeterquam inordinate et cum ſummo periculo ſufficere uiribus, proſtratis penitus et deiectis.

Si ſubiectum ſpectes, ſeu aegram affectam, eiusque conditionem, ſenior ſine dubio iam fuerit. In ſenibus rariores paullo febres eſſe conſueuere, ſed periculoſiores, iuuenes uegeti magis in utroque ſexu, et corripi ſolent, et intermori febribus. Accedit ergo et ex hoc pondus miraculo, euadere uetulam, uiribus minus alioqui pollentem, febri magna, magni momenti detentam.

Sed uidenda quoque eſt curatio. Non obſtat morbi (magnitudo) maximitas, ut LVCRETIANO uerbo utar. Nihil SALVATORI magnum eſt, quod non ſuperari poſſit, obſequii relicta gloria, nihil tam periculoſum, quod non auerti, tam letale, quod a leti Domino non in melius uerti queat, immo debeat. Tria fecit Diuinus Medicus, *uenit, uidit, uicit.* Accedit gratioſo affectu et

adſtat,

adſtat, ἐπιςὰς, *adſtat* magiſter, remittit morbus: uidet et contingit, et erigitur proſtrata: increpat febrim, et dictum factum omnis fugata eſt.

O adſtitem praeſentaneum et ὑπερασπίςην *inopinatum!* O miſericordem archiatrum, qui uidens mouetur, et motus iuuat! O potentiſſimum uictorem, qui uerbo profligat hoſtem! Non putandum uero eſt, daemoniacum fuiſſe hunc morbum, quod ἐπιτίμησε, *increpauit*, uerbo utatur Sacer Scriptor, nam et mare increpaſſe ſcribitur, nec omnes morbi a SALVATORE ſanati fuere daemoniaci, uel daemonibus in genere adſcribendi, quae KOZACKII eſt hypotheſis. Satis ſuperque miſeriarum habent et inferunt, etiam, non miſcente ſe diro hoſte. Omnia patent θεανθρώπῳ, nihil exemtum eſt ex eius imperio, dominio, nutu, poteſtate; omnia ſubiecta eius pedibus.

Conſequens ergo eſt, quod ἀφῆκε, *dimiſit* eam febris, quam prius deprehenderat, torquebat et anguſtabat. Mox contiſcere omnis feruor, e ueſtigio diſſipatus

patus morbus et omnia inde oriunda ſymptomata, confeſtim integer ſanguis, uires integrae, et ſibi redditae; non reſtituta aegra, ſed ſaniſſima. Quis uidit unquam, uel fando audiuit aegrum, extreme decumbentem, ſtatim ſuum? Reddita ὀρθοϛάδιος, lecto relicto, ſurgit, ambulat, ſanorum opera exercet, omni ἀδυναμία ſuperata, ac ſi nulla infirmitas affuiſſet, nulla mora intercedente, nullo ſtatu neutro ad conualeſcentiam neceſſario.

Curatio haec itaque erat *promtiſſima*, prono et gratioſo affectu exhibita. Nemo homo, nedum medicus, tam beneuolo et amico affectu ferri poteſt erga alterum, ac Summus hic DEVS. Erat *momentanea*, et praeſentiſſima, ob uires ſtatim et in momento omnes redditas, ut dubitare poſſet rei gnarus, an fuerit aegra, nedum tam magna febri afflicta hactenus. Erat *maieſtatica*, et inimitabilis. Quis homuncio hoc audeat, uel praeſtiterit? Quis ex thraſonibus iſtis, qui elati, ut MENECRATES olim, aliquot ſucceſſibus, longis tamen, diuinum ſibi arrogarunt nomen? Ad nutum, ad iuſſum, morbos profligare, ut inferre

ferre quoque, ſolius DEI eſt, non hominis. Erat *pleniſſima*, in qua nihil deſideraueris, radicalis, et intima, ſimul ac ſemel aegra, ſana. Adeoque, uno uerbo, *miraculoſa*, procul omnibus herbis, et undecunque conquiſitis remediis, ablata radicitus.

EXPLICIT FASCICVLVS I.

EX
TYPOGRAPHIA ACADEMICA
ALTORPHINA
IO. GEORGII MEYERI
A. R. S. CIƆIƆCCXXXX.

